DE IDOLOLATRIA POLITICA, ET LEGITIMO PRINCIPIS CVLTV COMMENTARIVS.

AVCTORE
IOANNE FILESACO
Theologo Pariſienſi.

PARISIIS.
Apud BARTHOLOMÆVM MACÆVM,
ſub Scuto Britanniæ.

M. DC. XV.

Cum Priuilegio Regis.

REVERENDISSIMO D.

D. BERTRANDO D'ECHAVS, EPISCOPO BAIONENSI, COMITI CONſiſtoriano, & Regis Chriſtianiſſimi Eleemoſynario primo.

IOANNES FILESACVS T. P. D. D.

COMMENTARIVM hunc tibi (REVERENDISSIME D.) iure optimo debitum. nemo, eorũ, qui apud nos in communi hominum luce verſantur, dubitare poteſt. Quis enim noſtrum tam paſſim, tam crebrò, non videt te Regi noſtro Chriſtianiſſimo

LVDOVICO XIII. ad omnem pietatis & auitæ Religionis ſenſum, præſulem & auctorem eſſe præcipuum. Principem Diuini Numinis metuentem, & tantiſper depoſito cothurno, ad ſtaturá ſuam redeuntem, ſeipſum denique hominem cogitantem propono. Securum ad omnia, quæ vndique impendent, pericula munimentum. Ego Regi meo, patriæ amantiſſimæ, mihi ipſi denique, homini Theologo, penitus deeſſe videbar, niſi de Principis ſalute, de hac vita tuenda & fœliciter agenda, denique in meliorem & fœliciorem commutanda, aliquid, pro induſtria noſtra, quam per exiguam eſſe ſentio, meditarer. Si Theologi hac in re partes vtcumque impleuerim, tuum eſto Iudicium. Scio non defuturos qui, aut nihil tentandum, aut nihil prætermittendum fuiſſe dictitabunt; Seponamus tantiſper vtrinque affectus, ego, ni me animus fallit, æquiſſimos feram Iudices; Quæ erat inſtituti mei ratio, ea me à Scopo aberrare non ſiuit. Superſtitioſis, moroſis, truculentis

hæc minimè ſcripta ſunt. Satis meo muneri facere decreui, quod ſi nonnullorũ arbitrio id non ſum aſſecutus ſaltem non infœliciter, Deo volente, ſuccedet votum, de tutando Principe, meum, & quocumque res vertat, numquam certe committam vt cultu & affectu in Principem, me, rectum iter pergentem, quiſquam mei ordinis ſuperet. Etiam diſſertationem hanc ſibi meritò vendicabat Comitas & benignitas illa, qua tu me complecti ſoles. quam mihi perpetuam, vt te ſaluum beatumque, æternûm exopto.

INDEX CAPITVM.

Præfatio.

Cap.I. *Idololatria Politica ab abuſu poteſtatis.*

II. *Idololatria Politica ab adulatione.*

III. *Idololatria Politica, à corruptela ſaeculi, à gentis vitio.*

IV. *Moderatio Principis, à pietate & metu Diuini Numinis.*

V. *Moderatio Principis, à cognitione ſui & conditione poteſtatis.*

VI. *Moderatio Principis, à ſtudio famæ.*

VII. *Moderatio Principis à periculis.*

VIII. *Princeps an reprehendendus, & quomodo.*

IX. *Quis amor, quis cultus in Principem.*

X. *Populus obſequens.*

NOs ſubſignati Doctores Theologi perlegimus Tractatum hunc de legitimo Principis cultu, authoris Sap. M. N. IOANNIS FILESACI Eccleſiaſtis Pariſienſis: in quo legitima quæque, & exculta, ſuoq. authore digniſſima recenſuimus. Idololatriæ Politicæ Κεραυνοβόλος λόγος. Quapropter ad totius Reipub. Chriſtianæ ditiorem prouentum, καὶ ἄνευ δυστυχίας typis excudi poteſt & debet. E. Muſæis noſtris apud Lut. Pariſ. pridie Calend. Ianuar. cIↃIↃCXV.

G.Froger. A.Lambert.

SVMMA PRIVILEGII.

Regio priuilegio cautum eſt, ne quis præter Bartholomæum Macæum Bibliopolam Pariſienſem, hunc Commentarium IOANNIS FILESACI *Theologi Pariſienſis. De Idololatria Politica, excudat, aut excudi curet, intra ſexennium, ſub pœna in Regio diplomate contenta, dato Pariſiis. Anno* 1614.

Signatum, LE LIEVRE.

DE
IDOLOLATRIA POLITICA,
ET LEGITIMO PRINCIPIS CVLTV.

COMMENTARIVS
IOANNIS FILESACI
Theologi Pariſienſis.

PRÆFATIO.

SALVS PRINCIPIS, SALVS PVBLICA. Liceat iſtud præfari auſpicio Sanctiſſimi Ambroſij epiſtola 26. ad Gratianum Auguſtum, cùm ſcribit ſe affectu, cura, cenſu ac denique orationum excubijs, pro ipſo ſollicitum fuiſſe. *Et hæc quidem*, inquit, *cùm pro tua ſalute deferreba-*

mus pro nobis faciebamus. Sic apud Curtium lib. 6.cùm Alexander in expugnatione oppidi alicuius apud Indos in maximum vitæ diſcrimen ſe dediſſet, ac tandem fœlici temeritate, quam illi adſignat Seneca, euaſiſſet, Macedonum primi & illi familiares, confuſis vocibus flentes eum orabant, vt tandem ex ſatietate laudi modum faceret, *ac ſaluti ſuæ, ideſt publicæ, parceret.* Sed hæc pluribus poſtea expendemus. Barbaro iſto & planè Gothico ſæculo, iam non infimæ ſortis, nō mediocris fortunæ homines, non ditiores petuntur, ſed Principes ipſi, ſed publici parentes, quos dum mortalium ſacerrimi è medio tollunt, communem publicæ rei ſalutem immaniſſimè eripiũt. Quam lubens iſtam tam luctuoſam, tamque acerbam parricidij recordationem omiſiſſem; ac noueram illud Cæcinnæ Seueri apud Tacitum, Annali tertio, prudentiæ plenum, *domeſtica mala triſtitia operienda*; Verum dum iſtam Regni molem titubantem, dum nauem magna iactatione concuſſam vidimus, an non de tibicine ſublato, vt & de rectore, incredibili ſcelere, erepto nos cogitare neceſſum eſt. Quis igitur verè Gallus & patriæ ſuæ amans, non libenter illud B. Ambroſij in oratione funebri Valentinian. A. de Henrico qvarto verè magno vſurpet. *Quotidiè mihi maior ad dolorem es, creſcis ad gemitum.* Non ſunt hæc doloris imitamenta; Dixit argutè & verè Tacitus, Annali ſecundo.

Periſſe Germanicum nulli iactantius mœrent quàm qui maximè lætantur. De nobis, de Gallia vniuerſa, de toto orbe Chriſtiano optimè meritus, HENRICVS M. ſtipendiarias, & iure ſibi debitas iſtas à ſuis repoſcit lachrymas: quandoquidem vt cum Patribus Concilij Toletani ſexti loquar, dum ſui Regis Cinthilani laudes prædicant c. 15. *Ipſe, auctore Deo, nobis pacem, ipſe quaſi captiuam reduxit charitatem, ipſius ope quieti, ipſius ſumus largitione ditati, ipſe medicamine bonitatis ſuæ & reis pepercit & rectos ſublimauit, cui ſi dignis voluerimus reſpondere beneficijs, non tantis extamus copijs virtutis, quanto voto ſufficimus voluntatis.* Exaudiant hæc pij Manes Henrici Magni. Plura ſubiungere non licet, non tantùm quia *nihil difficilius ſit quàm magno dolori paria verba reperire*, aiebat Seneca de conſolatione ad Polybium c. 22. Verum etiam quod ſi *prolixior fuero hoc magis in conſolando afficiam eum quem conſolari velim, & diutius mœrorem eius tenebo*, vt loquitur B. Ambroſius oratione citata. Quam multi his annis ſuperioribus pro tuenda Regum ac Principum vita & ſalute ſcriptis ſuis ſeſe aduigilaſſe videri voluerunt: Verùm dum illorum ſalutem omnibus aggeribus & munitiſſimis propugnaculis circumuallare moliuntur, non aduertunt ſe in arenoſis locis inſanas ſubſtructiones conſtruere; Nullum vel durius, vel magis ſolidum ſaxum Reges Principéſue ſecurè ac certò munire aut tutari poteſt vndi-

que, quàm Innocentia, quæ nullo ariete, ſiue alia quauis machina perfringi, nullis cuniculis perfodi queat. Plinio in Panegyrico ad Traianum id viſum. *Fidiſſima cuſtodia Principis eſt ipſius Innocentia.* Externa illa diſcrimina éxplicaſſe videntur, qui de rebus huiuſcemodi hactenus diſſeruerunt, interna & quæ proximè Reges ac Principes attingunt, neſcio quomodo prætermiſerunt. Illud nobis excutiendum propoſitum eſt; nullam rem peſtilentiorem aut pernicioſiorem Principibus exiſtere, quàm ſi ſeu priuato ingenio, ſeu alterius impulſu, de erciſcunda Diuinitate cum Deo præpotente agant. Iſta nobis explicanda Idololatria Politica, qua non ſolùm Principibus, Diuini cuiuſdam Numinis ſigna & notæ tribuũtur, verumetiam tantùm non in cœlo viuentes collocantur, & apotheoſi miranda donãtur. Meditatum huncce Commentarium paulò poſt Henrici Magni mortem & nefandum parricidium, affectum & vix abſolutum è manibus excuſſerunt tot libri poſtremis hiſce annis de Regio iure conſcripti, quibus dum ſuo quiſque genio indulget, quam multa ſunt non è cœlo, ſed ex orco, ex arena & ſpoliario, ex mendaciorum & calumniarum colluuie, petita, leguntur. Lupum aiunt non tantùm vnguibus & dente, verumetiam halitu ipſo nocere, ſic horum ſcriptorum aliqui ſicas aut venena parant Regibus necandis, nonnulli palpo &

proiecta aſſentatione, velut præſentiſſimo veneno, Principis animum mentémque inficiũt. Themiſtius orat. 4. ad Valentianum Imp. ſcribit ex Aſſyriorum libris mentem Regis dextra Dei, quaſi ſatellitio, circumuallatam eſſe: ex Hebræis depromptum. Prouerbiorum c. 12. *Cor Regis in manu Dei eſt.* At ſi modo in cœlum oculos attollat: Principi ad immortalitatem vitámque beatam iter iſtud præſtruendum, quibus rebus id effici poſſit videamus.

CAPVT PRIMVM.

Idololatria Politica, ab abuſu poteſtatis.

PRINCIPI à ſeipſo certiſſima pernicies imminet. ABVSVS POTESTATIS. Hæc infauſta proles ex Copia & poteſtate principali procreata eſt. Cùm enim Principes ſeu Regnũ, ſeu permultas & varias prouincias rerũ omnium, quæ ad vitã hominũ tuendã & iuuandã cõducunt, copia & vbertate florentes nanciſcuntur, iis facilè ad luxum voluptatémque abutuntur; hinc cum rebus eiuſcemodi nimium quantum abundent, nec vnquàm defuturas credant, exinde pro ſua auctoritate quiduis ſibi licere certo ſtatuunt; Malum iſtud in priuato Principis ingenio enatum, ſed deliteſcens, continuò ab Adulatione proximorum eductũ educatúm-

que: ſic derepente adoleſcit, vt non rarò ſubditos, ac nonnumquàm Principem ipſum peſſundet. Hæc videtur indicaſſe Vopiſcus in Aureliano, dum ait : *Et quæritur quidem quæ res malos Principes faciat. Iam primum nimia licentia; Deinde rerum Copia, Amici præterea improbi, Satellites deteſtandi, Eunuchi auariſſimi, Aulici, vel ſtulti, vel deteſtabiles, & (quod negari non poteſt) rerum publicarum ignorantia.* Non placet ordo ille & diſpoſitio Vopiſci, facilior & apertior, ni me fallit animus, via & ratio à nobis propoſita. Nemini enim dubium eſſe poteſt Principem ſuam non aliunde poteſtatem metiri ſolere, quàm ſui ſtatus opibus & rerum copia, necnon ſubditorum obſequio, quæ omnia ſi ad votum habeat, quam arduum & difficile vt illa ſumma poteſtas æquiſſimis iuſtitiæ repagulis coërceri poſſit. Leui momento & adhibito Græculo flatu (ſic adulationem vocat Auguſtinus Epiſtola 56.) in abuſum poteſtatis degenerat. Antoninus apud Herodianum lib. 1. perdifficile exiſtere ait, cùm quis potentiam obſecundantem habet, moderari ſibi, & veluti frænos ſuis imponere cupiditatibus. De ipſa Poteſtate dicamus, non enim de Copia controuerſia eſt. Quid de illa poteſtate alij ſentiant ac Principi ſuggerãt, explicabimus poſtea, cùm de Principis ingenio ab aliis deprauato diſſeremus. Principem ſupra cæteros mortales non tantùm ſeſe efferentem, ſed Deum iactantem ſe

ſpectemus, quod primum & præcipuum eſt Idololatriæ politicæ caput. Daniel c. 3. Nabuchodonoſor Rex Babyloniorum Coloſſum ingentem inſtruit, quem non alium extitiſſe quàm eiuſdem imaginem & ſtatuam mihi facilè perſuadeo, cui ſacrificare ac diuinos honores tribuere, ſuos omnes ſubditos iuſſit, nam id ſibi viuo videntique arrogare, qui reliquus erat in eo pudor non ſinebat. Malebat itaque ſe pro Deo in ſtatua huiuſmodi coli & adorari. Tacitè id Scriptura inſinuare videtur, cùm tanto ille furore exarſiſſe dicitur, vbi renunciatum eſt Hebræos tres, Sidrach, Miſach & Abdenago, Idololatricum & profanum iſtius ſimulachri cultum conſtanter & generosè auerſari, ac tum demum lata in eos capitali ſententia, in has voces blaſphemas & impias prorupiſſe. *Quis eſt Deus qui eripiet vos de manu mea?* Apertè id exponit Seuerus Sulpitius lib. 2. Hiſtoriæ ſacræ, Nabuchodonoſor elatus rebus ſecundis, ſtatuam ſibi auream immenſæ magnitudinis poſuit, adorarique eam vt ſacram effigiem præcepit. Nec alia certè ratione dementatus videtur Nabuchodonoſor, vt etiã explicat Iſidorus Peluſiota, li. 2. Epiſtola 177. ad Theodotum Presbyterum. Propter ingentem potentiam, & quia inuicto robore pollere regnum ſuum exiſtimabat Rex ille barbarus in ſuperbiam atque inſolentiam prolapſus eſt, adeo vt ſe humanos terminos exceſſiſſe & di-

uinitatis faſtigium attigiſſe putaret. Sed obiter emergentem ex iſta narratione ſcrupulum quidni eximam. Vni Danieli horum trium Iudæorum contribuli, ſocio atque adeo pietatis magiſtro cur pepercit Rex Aſſyrius, nec enim Danielis alia mens, alia & diſcrepans ſententia & vno nomine religio ab iis tribus. Soluit nodum Iſidorus idem lib. 1. Epiſtolà 19. Diuino conſilio & prouidentia iſtud contigit, ne impij & Idololatræ qui aderant, *tetros vndantis incendij globos* (vt loquitur Zeno Veronenſis Sermone 1. de Daniele & tribus pueris) penitus oppreſſos, contra vero *irroratum caminum, & blandientes flammas, roſcidos pueros lambere viſas*, (quæ verba ſunt Zenonis) Dei ipſius ſummi quem indicarat ipſe Daniel, nomini adſcriberent. Hæc enim apud Babylonios vigebat opinio, nempè Danielis Deum, ſi duntaxat eius nomen pronunciaretur, res admirandas perpetrare; Danielem facillimè id præſtare poſſe apud omnes in confeſſo erat, quem res planè obſcuras & arcanas Regi ipſi aperientem audierant. At quis tandem fuerit ementitus ille Deus Nabuchodonoſor, Sulpitio Seuero ſuo indicat S Paulinus Epiſtola 4. ſiquidem *Regi Aſſyrio in ſolitudiuem feritatémque damnato, luctuoſa concretio Capitis intonſi, in iubam leonis horruit, vt etiam corporis ſpecie tranſiret in belluam, qui non ſolum a Regnis ſuis ſed etiam à ſenſibus exſularet humanis, coma triſti, leonem; vncis vnguibus, vultu-*

rem; ſenſu & pabulo, bouem referens, ne vnius tantùm belluæ ſimilitudinem ferret in pœnis, qui multarum ſimilis fuiſſet in moribus. Intellecto tamen tandem Deo & ſenſu reformatur & Regno. Romanos Imperatores Ethnicos nonnullos, Dei nomen & exiſtimationem apud ſuos ambitioſè conſectatos fuiſſe, vulgare eſt. Dicam alio loco quid illis fœda quadam adulatione tributum à ſuis, quamquam ipſi illud aut neglexerint, aut non poſtularint. Sed Imperatores Chriſtianos vel Diuinitatis, vel Numinis appellationem ſibi adrogaſſe quis ferat? *Noſtram Diuinitatem* dixere Imperatores Theodoſius & Valentinianus l. 3. Cod. de Summ. Trinit. Eadem lege, *Noſtrum diuinum præceptum.* Et apertè. *Noſtrum Numen*, ſeipſos innuendo, vſurpant Imperatores Honorius & Theodoſius, l. 8. & l. 11. Cod. de ſacroſanctis Eccleſ. Theodoſius Imp. *Suum Numen* vocat, Cod. Theod. l. 11. tit. 1. l. 33. Idem habetur l. 8. Cod. de legib. & Conſtit. *Cœleſte oraculum* nominant Imperat. Iuſſionem ſuam, l. 10. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. vt & *Sacrum oraculum*, l. 5. Cod. ſi contra ius, vel vtilit. public. Nec alio ſenſu *Diuinum verbũ ſuum*, appellant l. 2. Cod. de mandat. Princip. Amulinus Proconſul Africæ, Epiſtola ad Conſtantinum Magnum, *Scripta Cœleſtia Maieſtatis veſtræ accepta atque adorata* dixit apud B. Auguſtinum Epiſt. 68. vt *adorandum reſcriptum* Imperatoris, Curopalates lib. 2. Iuris, Græco. Ro-

mani, in Nouella Alexij Comneni. Quis non meram Idololatriam expreſſam aduertat l. 5. Cod. de diuerſ. reſcript. quæ eſt Imperatorum Valentiniani, Theodoſij & Arcadij, alioquin piorum Principum, *Sacrilegij inſtar eſt, ſuper quibuſcumque adminiſtrationibus, vel dignitatibus promulgandis, diuinis obuiare beneficiis.* Quid l. 10. Cod. de legib. & Conſtitut. iis verbis: *Omnes legibus regantur, etiamſi ad Diuinam domum pertineant.* Innuunt autem Imperatoriam familiam. Eodem pacto Nouellæ Theodoſ. tit. 21. Inſcriptio. Quin & in ſubſcribendis reſcriptis, vel mandatis adhibeant formulam *Manu Diuina.* Nouell. Theodoſij tit. 25. Idem Nouella Maioriani. Et miramur dum hæc legimus in Nouella Anthemij A. tit. 1. *Iulia quædam preces noſtris fundit altaribus.* Sunt alia id genus quam plurima in iure quæ præſtat omittere, & vnico abſoluam Iuliani Anteceſſoris Conſtantinopolitani loco, in fine Nouellarum, quas Latinas fecit, Conſtitutione 128. In eadem Conſtitutione, *finiuntur Nouellæ Conſtitutiones quæ poſt Codicem Diuini Numinis Iuſtiniani promulgatæ ſunt.* Quin & Statuis ac Imaginibus Imperatorum diuinos honores adtributos, res eſt ſatis nota; vno vel altero ſcriptorum hiſtoriæ teſtimonio contentus. Spartiano in Caracalla: Damnati ſunt eo tempore qui vrinam in eo loco fecerunt vbi Statuæ aut Imagines erant Principis. Dio libro vltimo hiſtoriæ narrat

Claudium Imperatorem,cum ſpectaculis meridianis innumeros ſeruos, herorum ſuorum, ſub Tiberio & Caligula,delatores,gladiatorio certamine ſeſe mutuò conficere iuſſiſſet, & quidem eo loco vbi Auguſti ſtatua erat, illam aut transferri, aut velari mandaſſe, quoniam Statuã ipſam tot cædium aſpectu, non ſecus atque atrocis alicuius ſceleris viſu contaminari crederet, quæ omnium erat in illa profana & ſuperſtitioſa religione ſententia. Apud Suetonium in Tiberio c.26. Statuas & Imagines ſuas non inter ſimulachra Deorum, ſed duntaxat inter ornamenta vrbium collocari permiſit Tiberius ipſe A. Neſcio an moderatione id factũ fuiſſe credam,quod nõ exiſtimo,quineius tectum & obſcurum ingenium deſcribit Tacitus non vno loco; & Dio. Religioſo cultu id curaſſe quis arbitretur, cùm circa Deos ac religiones negligentior exiſteret, vt idem Suetonius refert c. 69. Perplacet magis Theodoſij pietas,& ea quidem ſincera quam teſtatam reliquit l. 2. Cod. de ſtatuis & Imaginibus; ſed quoniam lex ipſa amplior extat in Cod. Theodoſiano l. 15. tit. 4. ex eo deſcribere placuit. *Si quando noſtræ Statuæ, vel Imagines eriguntur, ſeu diebus, vt adſolet, feſtis, ſiue communibus, adſit Iudex, ſine adorationis ambitioſo faſtigio (aliàs, faſtidio) vt ornamentum diei, vel loco & noſtræ recordationi, ſui probet acceßiſſe præſentiam. Ludis quoque ſimulachra propoſita tantum in animis concurrentum, mentiſque*

ſecretis noſtrum Numen & laudes vigere demon-ſtrent. Excedens cultura hominum dignitatem, ſupremo Numini reſeruetur. Verè Chriſtiano Principe digna vox. Quamquam non bene conſentire cum ſuperioribus nonnullis vocibus dixerim, ecquid enim Noſtrum Numen dixit Imperator, qui poſtea *Supernum Numen* veneratur, niſi quædam terrena numina conſtituat, quibus adnumerentur ipſi Imperatores. Et vereor ne tot Numinum ſpecies ab imperitis hinc excogitentur, quot Dæmonum ſpecies apud Iamblicum, Pſellum & cæteros harum rerum ſcriptores. Sed quod legi modo allatæ illuſtrandæ plurimum conducere videtur, obſeruandum eſt etiam ſub Chriſtianis Imperatoribus, illorum Imagines ad Ciuitates & prouincias Imperij Romani mitti ſolitas, quas obuij excipiebant populi, cum Cereis & incenſis, non cera perfuſam tabulam, ſed Imperatorem honorãtes, vt habetur Concilio Nicæno Secundo. Minutius Fœlix in Octauio, hæc omnia ita complexus eſt, *ſic eorum (Principum) Numen inuocant, ad imagines ſupplicant, Genium ideſt Dæmonem eius implorant, & eſt eis tutius per Iouis genium peierare quàm Regis.* Quod addit Minutius Ethnicos per genium Imperatoris iurare ſolitos, negat Tertullianus Apologetici cap. 32. Chriſtianos iurare per Genios Cæſarum, ſed per ſalutem ipſorum (Cæſarum) quæ eſt auguſtior omnibus Geniis, qui nihil aliud ſunt

quàm dæmones, & diminutiua voce, dæmonia. Meritò hanc impietatem auerſati ſunt Chriſtiani veteres; nam auctore B. Ambroſio Epiſt. 30. *quid eſt iurare, niſi eius, quem teſtare fidei tuæ præſulem, diuinam potentiam confiteri.* Et Tertulliano lib. de Idololatria, *Quis enim per quos deierat non honorat?* At per ſalutem Imperatorum iurabant, quod ab illo per Genios Cæſarum iurandi ritu parum diſtare cuipiam videbitur, imò maximè, de qua re aliàs ſi Deus dederit; inſtitutam repeto diſputationem; Imperatores, ſuos parẽtes aut præceſſores, Diuos vocabant, quod vulgus litteratorũ non ignorat. Diui agnominationẽ, vt dicam quod ſentio, vni Deo conuenire, germano vocis ſignificato, plane contendo; communi & vulgari Latinè loquentiũ vſu, vix ante ſæculum iſtud, attributam iis video qui ſanctitatis ac beatitatis ſuæ certiſſima & viui & mortui argumenta dederunt. Longolij aut alterius perſimilis Ciceroniani ſcriptoris delicatum faſtidium nihil moror, cui *Sancti vel Beati* vox palato non arridebat, ac neſcio quid barbari ſapiebat. Diuos & Diuas prophanis ſcriptorib⁹ nihil aliud quã Deos & Deas ſignificare certiſſimum eſt. Diuus Apollo, Diua Mineruа, Diua Venus & ſimiles locutiones quoties occurrunt, & nullus, niſi qui à litteris humanioribus plane alienus, id negarit. De qua re libro primo eorum qui emẽtito Caroli nomine, de imaginibus circunfe-

runtur, c. 3. Quinetiam Chriſtiani Veteres multùm diúque dubitarunt an Imperatores appellare deberent *Dominos*, ſiquidem auctore Tertulliano Apologetici c. 34. *Dominus* eſt Dei cognomen; ſed iſto metu ingenioſè illos liberat Septimius ipſe Florens iis verbis: *Dicam planè Imperatorem Dominum, ſed more communi, ſed quando non cogor vt Dominum Dei vice dicam.* Quidni forsã à Chriſtianis poſtea excogitatũ fuit idcirco, vt qui ſeu in Eccleſia, ſeu in Republica, dignitatis & auctoritatis faſtigio ſupra cæteros mortales eminerent, *Domni* diminutione quadam vocarentur, quaſi ſupremo Domino, hoc eſt Deo Opt. Max. inferiores, attamen aliquã Diuinæ Maieſtatis & prouidentiæ imaginẽ præ ſe ferrent. Sulpitius Seuerus lib. 2. Hiſtoriæ Sacræ vniuerſim iſta de Regibus dixit, *ſtultitia Regum omnium, qui ſibi Diuina vendicant.* Non probè, non verè, vt ego arbitror, nec enim omnes Caligulis aut Domitionis, paucis ite aliis perſimiles, extitiſſe credẽdum eſt. Ac quamquam poſterioribus temporibus, quæ non vidit Seuerus, Numinis & Diuinitatis ſuæ appellationẽ ſæpius obtrudant, benignè tamen id explicari poſſe nemo neſcit; Et ne quid à me hactenus in Principes aut aſperius aut durius dictum eſſe putet quiſpiam, vbi de ſummæ illius poteſtatis moderatione agendum erit, qualis veneratio & honos tribuendus ſit Principibus apertiſſimè demon-

ſtrabo. Satis mihi viſum fuit Idololatriæ iſtius Politicæ fontem originémque indicare, quam ab ipſis Principibus primo loco repetendam eſſe, ſuperiora facilè comprobant.

CAPVT II.

Idololatria politica ab adulatione.

PRINCIPI non dubia, non obſcura peſtis externa ingruit, ADVLATIO, ſecunda Idololatriæ iſtius politicæ ſcaturigo; Malum iſtud nec vnius generis, nec vnius formæ, vt poſtmodum explicabimus, cuius teterrimas voces quas apud Principes exhalet, primum audiamus. Omnia Principi licere, honeſta, turpia, æqua, iniqua, innoxia, noxia, ſalutaria, pernicioſa. Calpurnio Flacco declamat. 16. Regis oratio eſt, *libuit & licuit*. Sic Philippus Auguſtus Francorum Rex Epiſtola ad Cardinales Curiæ, Principibus nonnullis id ſibi perſuaſum ait, *Vt quod libet liceat, quod liceat poßint, quod poßint audeant, quod audeant faciant*. Affine huic ſententiæ eſt quod habet Iuo Carnotenſis Epiſtola 12. loquens de Eccleſia Dei, *In qua quilibet quodlibet audet, & quod audet facit, & quod facit impunitum tranſit*. At Memmius apud Saluſtium Iugurthino, c. 31. pronunciat, *impunè quidlibet facere, id eſt Regem eſſe*. Plinij certè ea

vox eſt Panegyrico ad Traianum Imperat. *fœlicitatis eſt quantum velis poſſe, Magnitudinis eſt velle quantum poſsis*. Nec alio ſenſu id Mamertini Panegyrico ad Iulianum A. *Magnitudinem fortunæ ſuæ Imperator qui mentitur, ignorat.* Neronis ea vox, Suetonio c. 37. cùm negauit *quemquam Principum ſciſſe quid ſibi liceret.* Pergit adulatio, omnia ſubditorũ bona Principis eſſe propria. Etiam addat, ſi hoc verum ſit, neceſſariò conſequi, ſubditos nec proprium, nec dominium habere, nec poſſidere poſſe; quin & apud eos nullam Matrimonij honeſtiſſimam copulam aut cenſeri, aut reperiri, ſed neſcio quod contubernium, à quo qui contubernalem abduxerit, officiosè tantùm, & quadam aliorum patiendi neceſſitate, feciſſe videatur; vno nomine ſubditos cuipiam mortalitati obnoxios & pro nullis habendos, vt de ſeruis explicant Iuriſconſulti. Domitiani æuo iſta ſunt ferenda, ille ſiquidem apud Plinium, in Panegyrico Traiani, exturbatis prioribus Dominis, omne ſtagnum, omnem lacum, omnem etiam ſaltum, immenſa poſſeſſione circumueniebat, nec vnius oculis flumina, fontes, maria deſeruiebant. Et quid Cæſar non ſuum videat? Eò ſpectat quod de eodem dixit Iuuenalis, Sat. 4.

Quicquid conſpicuum pulcrúmque ex æquore toto
Res fiſci eſt vbicumque natat. -- Sed iis & ſuperioribus cautiones adhibebimus, capite quinto. Iſtiuſmodi vocibus permotus Prin-

ceps

ceps iam Cœlum meditatur, & quæ ſub Cœlo ſunt longè infra cogitationem ſuam poſita eſſe arbitratur. Poteſtatem ſuam non iiſdem, quibus orbis ſolet, terminis circunſcribi poſſe putat. Iam ſe Deum fingit, iam aperta ſuorum adulatione Deus audit. Actor. 12. Statuto die Herodes (Agrippa) veſtitus veſte Regia ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos, Populus autem acclamabat, *Dei voces non hominis.* Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eò quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus à vermibus expirauit. Sic Pacatus Drepanius Panegyrico ad Theodoſium Magnum, illum contuens, *fidem conſtare neſcimus auditis, Deum dedit Hiſpania quẽ videmus.* Paulò pòſt vbi de elegãti anima quæ nõniſi perſimili corpori indatur, agit, *Parcam*, inquit, *arcanum cœleſte rimari, tibi iſtud ſoli pateat, Imperator, cum Deo conſorte ſecretum.* Quæ ſequuntur, eiuſdem palpi ſed plane impij, *Illud dicam quod intellexiſſe hominem & dixiſſe fas eſt, talem eſſe debere (Imperatorem) qui à gentibus adoratur, cui toto orbe terrarum priuata vel publica vota redduntur, à quo petit nauigaturus ſerenum, peregrinaturus reditum, pugnaturus auſpicium.* At plane execrandum iſtud, cùm ait Deum participem eſſe Maieſtatis Imperatoriæ. Eiuſdem guſtus ſunt iſta à Nazario prolata, Panegyrico ad Conſtantium A. *Exiſtimare de Principibus nemini fas eſt. Nam & in veſtibulo ſuo inquirentem repellit obiecta veneratio: & ſi qui pro-*

pius adierunt quod oculis in Solem ſe contendentibus euenit, præſtricta acie, videndi facultate caruerunt; En diuinum aliquod Numen adumbratum. Etſi hæc vtcumque ferenda ſint, at quis æquo animo de homine mortali illa pronunciari patiatur, quæ de Imperatore ſuo profert incertus auctor Panegyrici, dicti Conſtantino Conſtantij filio, *Cuius (Imperatoris) tam pulchra forma eſt quam certa Diuinitas.* Nec diſcrepat illud Ennodij Ticinenſis Panegyrico ad Theodericum Regem Gothorum. *Inter Deos agnouiſſe proximè qui præſtitit, reddidiſſe eſt beneficium*, De Rege illud dictum. At Imperatores Diuos multis poſtea ſæculis appellatos quis ignorat. Syluester 2. P. R. antea Gerbertus, Epiſt. 90. Diuum Auguſtũ, Othonem 3. diſcipulum ſuum, nominat. Et Epiſt. 154. Diuinã Maieſtatem veſtram vocitat, ad eum ſcribẽs. Gręcam adulationem dixit Tacitus lib. 3. quippe quæ huic genti, naturali quodam malo, inſita & velut ingenita exiſtat, quod à variis Scriptoribus proditum, ab ea profecta eſſe, quæ habet Themiſtius Græcus homo non vna oratione, nemo idcirco iſta miretur, Oratione prima ad Conſtantinum pro gratiarum actione, Imperatoris vel ſolus nutus ad fœlicitatem vel ſalutem abunde ſufficit. Scio ſacram Scripturam ab ea ſententia non abludere: at ſupra hominum conditionem iſta eſſe accipienda, declarat ipſe Themiſtius, oratione ſecunda ſequen-

te, cùm Conſtantinopoli ſacra Imperatoris Conſtantij ordinari & peragi ſcribat, nō ſecus ac Iouis vel Apollinis apud Delphos. Exponit poſtea quæ illa ſint,inter cætera, feſtos dies in honorē Imperatoris inſtitutos, quibus Ciues Conſtantinopolitani in adyta conueniant,religioſis & ſacris veſtibus amicti: Et aliquantū poſtea Conſtantiū Imperatorē ab iiſdem Ciuibus nō alia ratione quàm Deum Immortalē, ſuffitibus & donariis honorandum. Quid mirum igitur ſi oratione ſexta, Valentinianum ſecundum A. Diuiniſſimum Regem vocet. B. Auguſtinus lib.10. de Ciuitate Dei c.4. Impietatem illam ſic perſtringit. *Multa de cultu Diuino vſurpata ſunt, quæ honorib. deferuntur humanis, ſiue humilitate nimia, ſiue adulatione peſtifera: ita tamē vt quibus ea deferuntur, homines haberentur qui dicūtur colendi & venerandi, ſi autem eis multum additur & adorandi.* Tradunt lolliginem piſcem, nigrū niueo portare in corpore virus, non aliter adulatio, ſpecie quidē blanda & comis, ſupra quàm credi poſſit Principibus ipſis potiſſimum exitioſa & peſtifera deprehenditur. Sed quoniam qui adulandi artem apud Principes profitentur, non ſunt vnius eiuſdemque generis, nec eodem collimant, ſingula quæque explicemus. Sunt tenuiores, ſunt ſupra vulgus, ac denique alij Summates exiſtunt, qui omnem operam & ſtudium in aſſentando collocant; ſed horum omnium aliqui nonniſi de augen-

da re familiari & parandis opibus cogitant, alij ambitione ducuntur, & dignitates atque honores expetunt. Quanta pernicies ab vtriſque Principi impendeat, demonſtrabimus Capite Septimo. Vniuerſim quomódo ab aſſentatoribus Princeps obſideatur, videamus. Næ illi falluntur qui Principes acerbè nimium inſectari ſolent quod adulatoribus tam libenter, tam ſæpe delectẽtur; eſt enim à natura profecta eiuſcemodi imbecillitas, tum ab illa eximia poteſtate qua cæteris excellunt, addo & aulam Principum ita eſſe compoſitam, vt qui in ea verſantur aſſiduè, vix alium quàm placendi ſpiritum aſpirent. In primis malum hoc nobis omnibus inditum & inſitum eſſe, imo innatum nemo ſanus negabit. B. Hieronymi ea ſentẽtia eſt Epiſt. 22. ad Euſtochium. *Naturali ducimur malo, adulatoribus noſtris libenter fauemus, & quamquam nos reſpondeamus indignos & calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem ſuam intrinſecus anima lætatur.* Non aliter Ioannes ille Carnotenſis Epiſcopus in elegantiſſimo illo centone Policratici l.3. c.4. *Populum qui ſibi credat habent aſſẽtatores, qui de ſe magis alienæ linguæ acquieſcat quàm propriæ iudicio cõſcientiæ, dum ſeipſum quilibet extra ſe quærit & noſſe dedignatur, quam ſit ſibi curta ſupellex. Nil enim quod credere de ſe non poſſit cùm laudatur non modò Diis æqua poteſtas, ſed quæcunque anima de fermento ſuperbiæ intumeſcit.* Imitatus eſt Senecã vir ſanctiſſimus & ille

alter, ſiquidem Præfatione lib. 4. naturalium quæſt. his cōſentanea refert. *Habent*, inquit, *hoc in ſe naturale blanditiæ etiam cùm reiiciuntur placent, ſæpe excluſæ nouiſſimè recipiuntur.* Ita Petrus Bleſenſis Epiſt. 77. *Illud etiam apud Palatinos plurimū promouet conditionis adulatoriæ ſortem, quod etſi non omnes laudem appetant, nemo tamen renuit aut contemnit oblatam.* Criſpus Paſſienus apud Senecā loco citato dicebat nos adulationi opponere non claudere oſtium, quemadmodū opponi amicæ ſolet quæ ſi impulit grata eſt, gratior ſi effregit. Præterea verò ſumma illa Principis poteſtas magna & obuia adulandi illecebra. Quotus enim quiſque eſt qui in communi hominum luce & cōſortio verſatur, qui ſibi, propinquis & amicis proſpicere non expetat. Placent mihi qui in aula verſentur, ſi crebrò illud Principi inſtillēt, quod eſt eleganter à Pacato Drepanio dictum, Panegyrico ad Theodoſiū. *Nullam maiorem eſſe Principū fœlicitatem, quàm feciſſe fœlicem & interceſſiſſe inopiæ & fortunam viciſſe & dediſſe homini nouum fatum.* Addo, bene merito, & bonis artibus, nec citra modum. Plinius Panegyrico ad Traianum, poſtremum hoc deſignat cùm ait, *præcipuum eſſe iudiciū non magni Principis magnos libertos.* Ac quanquā apud Tacitum l. 5. Annal. 11. Terentius eques Romanus de amicitia Seiani ita ſe purget apud Tiberium Imperatorem, *Non eſt noſtrum æſtimare quē ſupra cœteros & quibus de cauſis extollas, Tibi ſum-*

mum rerum iudicium Dij dedere, nobis obſequij gloria relicta eſt: Sed nouerat ille Tiberium, hoc eſt occulti & ſubdoli ingenij Principem, imo ſæuiſſimum & immaniſſimum, ſub quo damnatorum, illius iuſſu, corpora cremare, ſepelire vel attingere non licebat, quin & necatos lugere vetitũ, & capitale ac planè tum interciderat ſortis humanæ commercium, vi metus, quantumque ſæuitia gliſceret miſeratio arcebatur, vt præclarè dixit Tacitus, lib. 5. Annal. Ad inſtitutum redeo, Principem prouidum, ſagacem, ſapientem & perhumanum ſpecto, non Claudium Cæſarem, cui non iudicium, non odium erat niſi indita & iuſſa, vt ait Tacitus Annali 12. Sæpius Princeps illa Galbæ Imperatoris ad Piſonem, quẽ ſucceſſorẽ deſignauerat, verba cõgitet. Cæteri libẽtius cum fortuna noſtra quã nobiſcum loquuntur. Aulæ & eorum qui, vt veteres loquuntur, in Comitatu Principis verſantur, conditio iſta eſt. Siquidem Clemente Alexandrino auctore lib. 2. Pædagogi, in Regiis ſeu aulis Regum eſt vana honeſti opinio, inanis gloriæ ambitio, error & adulatio. Venuſtiſſimè totum hoc vno verbo expreſſit B. Chryſoſtom. Homil. 21. in Epiſtolam ad Epheſios, cùm ſcribit, aulam Regiam refertam eſſe hydropicis ſeu inflatis & tumidis. Non eſſet profecto magnopere dolendum, ſi ſolos iſta vexaret hydropiſis aulica, ſi ambitionis tumore, vel habendi cupiditate diſtentos, impunè

& innoxiè cum Principe & aliis verſari ſciremus, ſed contagione malum excreſcere, nimis notum. Quid enim non moliuntur apud Principem, vt ab eo quod ſibi iudicãt profuturum extorqueant. Vnica illis ratio eáque præcipua, quiduis efficiendi, proiecta aſſentatio: Quos idcirco deprehenſos à ſe longe amandare debet Princeps, imo potius coërcere. Dio, oratione tertia de Regno, adulatores eiuſcemodi perſimiles eſſe contendit iis qui probam monetam adulterare ſoleant. At qui menſuram circuli exterioris adroſerit vt ponderis minuat quantitatem, vel figuratum ſolidum adultera imitatione in vendendo ſubiecerit, capitali pœna afficiendus eſt, Conſtantini lege Cod. Theodoſ. lib. 9. Titul. 21. l. vnica. Quin & idem Dio illos aſſentatores cum falſis teſtibus componit, quos tot leges ſeueriſſimè damnãt. Hinc veriſſima illorum comprobatur ſententia, qui palpones iſtos Principum, homines fluxæ & dubiæ fidei eſſe dictitant. Infidelitatis notam illis eleganter adſpergit pereruditus iſte Carnotenſis Epiſcopus, Policratici lib. 3. c. 4. *Quid verò*, inquit, *infidelius quàm eum cui fidem debeas, circumuenire verborum blanditiis, ludibrio habitus, geſtus transfiguratione & totius vanitatis lenocinio excæcatum, in ſordes vitiorum impellere & præcipitationis abyſſum:* Et libri eiuſdem c. 6. *Non manet fides incolumis vbi aliud agitur, & aliud ſimulatur, præſertim animo & voluntate nocendi.* At is

ſcopus eſt eorum qui Principi aſſentantur, vt diſertè explicat Epiſcopus ille, de quo mox diximus, lib. 3. c. 10. *Sicut finis Oratoris eſt perſuaſiſſe dictione, Medici curaſſe medicina, ſic adulatoris finis eſt ſuauiloquio decepiſſe. Verum. Non eſt in medico ſemper releuetur vt æger, & finem ſuum qui in altero eſt Orator non ſemper aſſequitur, ſic adulator quidem non ſemper decipit aut de amico triumphat, fine tamen ſuo non deſtituitur, ſi ex contingentibus nihil omiſerit.* Quod autem ſimulationem adulatoribus auctor hic ſuperius adtribuit, id propterea facit quod conſtanter defendat aſſentatores maximam cum hiſtrionibus conſenſionem habere. *Nam qui vultum*, inquit, *induit alienum, & varias affectuum alternat facies, incolumitati ſenſuum inſidias parat, & Sordidus auriculis alienas colligit eſcas: Et ſi hiſtrionem verbo diffiteatur eum moribus & turpitudine confitetur. Quod aſſentatoris proprium eſt, qui ad alterius viuit nutum, & antequam ſuum proferat iudicium: de ſingulis expectat alienum: nam hominum mentes explorat, prætentat voluntatem, vt cui rei volueris ſenſus accommodet, vt gratiam illius cum quo agitur fraudulenter ſurripiat. At Hiſtrionem eſſe vel Mimum infamiam ingerit his quos à tanto abiectionis opprobrio naturæ vel perſonæ dignitas videtur excepiſſe.* Ex iis quæ in Principum adulatores à probis Scriptoribus pronunciata ſunt, nobilis emergit quæſtio, An Eccleſiaſticis viris, & tutum ſit, & ſuo ordini conſentaneum, in aulis Regum verſari.

De Epiſcopis, Petrus Bleſenſis epiſtola 84. *Non eſt nouum*, ait, *quod Regum conſiliis interſint Epiſcopi. Sicut enim honeſtate & ſapientia cæteros antecedunt, ſic expeditiores & efficaciores in Reipublicæ adminiſtratione cēſentur.* Poſtea, *Niſi familiares & Cōſiliarij Regis eſſent Epiſcopi ſupra dorſum Eccleſiæ fabricarent hodie peccatores, & immaniter & intolerabiliter opprimeret Clerum præſumptio Laicalis. Nunc autem ſi quid in Eccleſiæ attentatur iniuriam auctoritate Pontificali corripitur. Aut ſi ad hoc Eccleſiaſtica cenſura non ſufficit, ſpiritualis gladij defectus Ciuili ſuppletur, & ad eorum arbitrium Principalis animaduerſio exercetur. Si quandoque, vt fieri ſolet, aduerſus inſontes Regis indignatio vehementius excandeſcit, Epiſcoporum precibus temperatur. Iſtis mediantibus māſueſcit circa ſimplices Iudiciarius rigor, admittitur clamor pauperū, Eccleſiarum dignitas erigitur, releuatur pauperum indigentia, firmatur in Clero libertas, pax in populis.* Et Epiſtola 150. loquēs de Clericis. *Scio quod ſi qui in Regiæ familiaritatis ſacrariū admittūtur multa facere poſſunt & dicere quibus pauperum neceßitas ſubleuetur, foueatur religio, fiat equitas, Eccleſia dilatetur.* Iſta præclara, eximia, vtilia quæ ſi præſtentur, aulas Regum Eccleſiaſticis viris abūdare nemo non expetit. Et quamquam Epiſcopos in aula verſari ea lege & cōditione probat Bleſenſis, attamen addit quod præcipuum eſt. *Iſti Epiſcopi*, de quibus præſertim loquitur, *ſingulis præcipuis ſolemnitatibus, ſuis interſunt Eccleſiis, vbi eleemoſynarum largitione, conſolatione pupil-*

lorum ac viduarum, ſubiectorum correctione atque aliis ſanctitatis operibus redimunt dies, quos in Curia conſumpſerunt. At neſcio quomodo Eccleſiaſtici, & quibus alienæ ſalutis ſollicitudo incumbit, in aulam velut in alterum orbem delati, vitæ prioris facilè obliuiſcuntur, nouúmque viuendi genus inſtituere coguntur. Sed lubrica iſta via & facilis ad deteriora lapſus, ſiquidem eodem Petro auctore Epiſtola 113. *Frequenter in Palatiis conuerſantur, qui mollibus & delicatis auribus Principum etiam in turpibus, blando lenocinantur applauſu, ponentes ceruicalia ſub capite, & plumaria ſub omni cubito manus. Vix inuenitur in Curiis qui non vendat oleum, qui caput peccatoris oleo nō impinguet.* Epiſtola 77. *Illi ſoli ad Magnatum gratiam admittuntur, qui palpant blanditiis & aures fame bibulas, calice Babylonis inebriāt. Ampliant eos beneficiis quos torquere debuerant, & à præſumptione adulandi ſuppliciis deterrere.* Paulò acrius & valde ſtomachoſe aduerſus Monachum qui in aulam ſe contulerat, & huic ſe ſe addixerat, iſta ſcribit Epiſtola 108. *Factus es de numero locuſtarum, quarum poteſtas in linguis tota eſt & in caudis, ſocias eorū quorum os plenum eſt amaritudine & dolo, ſed caudæ eorum caudæ vulpium, quibus Sanſon alligauit incendium, quorū finis interitus, quorum pœna ignis & vermis. Qui os tuum Euangelio conſecraueras, nunc illud venenis detractionum, & adulationum ſpurcitiis dehoneſtas. Nimirum præelegiſti habitare cum ranis quæ ſunt in penetralibus Regum, & inter aulicos ſimulachrum re-*

ligionis adumbratè prætendens, Magnatũ gratiam in magno diſcrimine animæ tuæ & proprij corporis affli-ctione venaris. Vno verbo dicere potuit, Vita Curialis mors eſt animæ, vt ipſe ſcripſit Epi-ſtola14.atque cum vario ambitionis & cupiditatis ęſtu aliquãdiu impulſus,nõ ſine voluptate & rerum ſuarum incremento in aula Hẽrici ſecundi Angliæ Regis verſatus eſſet, tandẽ ad ſe rediens non minimam ſalutis iacturam feciſſe,& liberè & ex animo conqueritur. Ac quoniam multus eſt in iis commemorandis, illud vnum ex eius ad Deum fuſa oratione ſubiiciam: *Dimitte quæſo me adhuc vt plangã paululum dolorem meum,ne reuertar in Curiam laborioſam & opertam mortis caligine, vbi vmbra mortis eſt & nullus ordo.* Concludit hoc pacto. *Licet obſequiũ & reuerentiam debeamus Principibus, & maxime Regi tanquam præcellenti,tamen noſtræ profeßionis homines efficacius poſſent in Eccleſiis deſeruire Principibus,quam in Caſtris. Simpliciores equidem & qui minus in Diuina pagina ſunt eruditi,ſi in obſequio Regiæ Maieſtatis militare proponunt,non arbitror hoc abſurdũ. Porro in ſacris ordinib. conſtitutus, & in diuino eloquio pollẽs,qui iam tenetur fontes ſuos deriuare foras, talentumq. ſibi creditũ cum lucro ad domũ reportare omnino inexcuſabilis eſt, ſi Curialibus vinculis ſe innectit.* Epiſtola 150. nonnihil de ſua aſperitate remittit, ſed cautione adhibita iis verbis. *Non ſolum toleranda,ſed deſiderãda eſt plerũque cum Principibus conuerſatio Clericorum. Legimus quidem Sa-*

cerdotes & Prophetas frequentiam & familiaritatem cum Regibus habuiſſe. Tunc enim ſalubriter diſponitur vita Regum, cùm Religioſorum hortamenta ſectãtur, & ducuntur conſilio ſapientum. Verumtamen licet Epiſcopos & alios qui curam in ſe gregis Dominici ſuſceperunt, Regum conſiliis frequenter expediat intereſſe, ſua intereſt ne miniſterium vigilantiæ paſtoralis euacuent, ſed ſint in conſpectu Regum ſuæ conditionis memores, & Petri nauiculam cui præſunt, inter tempeſtuoſos fluctus Curiæ non relinquant. Sed inſtitutam de adulatoribus Principum qui illis Diuinitatem adtribuunt, repeto diſputationẽ & abſoluo. Optandum eſſe vt Reges & Principes ſuis Prætoriis, imò & larariis ſententiam illam litteris aureis deſcribendam curent. Plures Principes adulatio perdidit, quàm hoſtis licet infeſtiſſimus & ſæuiſſimus. Poſt ſubactum Orientem Alexander ille Magnus, vix ſe mortalem & cæteris hominibus moriendi neceſſitate perſimilem cogitabat, mirum in modum expetebat pro Deo haberi: Et teſte Curtio lib. 8. *Non deerat talia concupiſcenti pernicioſa adulatio, perpetuum malum Regum, quorum opes ſæpius aſſentatio quam hoſtis euertit.* Iulianus A. in Miſopogone, Principum naturã optimam à proximis deprauari ait, ſiquidẽ teſte Seneca, Epiſtola 7. *malignus comes quamuis cordato & ſimplici rubiginem ſuam affricat.*

CAPVT III.

Idololatria à corruptela Sæculi, à gentis vitio.

IDOLOLATRIAM illam politicam ſeu cultum noménque Dei, Principibus tributum, poteſtatis abuſu, aut proximorum adulatione, mirum in modum auxit vulgi licentia, vel metu, vel ipſius aſſentationis malo, quod latiſſimè ſeſe diffundere ſolet, & populus ipſe aulæ vitia imitatur lubens. Tertia iſta eſt origo eiuſmodi Idololatriæ, ſiue à ſæculi corruptela illam repetas, aut nonnumquam à domeſtico gentis alicuius vitio. Singula expendamus. Idololatriæ originem arceſſit Minutius Fœlix in Octauio, ex cultu Regum defunctorum; *Dum Reges*, inquit, *ſuos colunt religioſè, dum defunctos eos deſiderant in Imaginibus videre, dum geſtiunt eorum memorias inſtantius detinere, Sacra facta ſunt quæ fuerant aſſumpta ſolatia.* Sed ab iis vita functis ad viuos videntéſque error facilè peruenit, id præſertim agentibus Tyrannis, vt iſto Religionis metu, ſuę vitæ ſibíque conſulerent ac proſpicerent. Quis enim niſi planè impius in Deum non eſt bene affectus, quis reluctatur, quis obloquitur, quis de eo malè ſentit, niſi inteſtabilis & conſceleratus. At ſibi ſacra

fieri, victimas immolari, thure ſupplicari, nimis putidum atque inſolens videbatur. Itaque Statuis & Imaginibus iſta deferri, ſibíque Diuinitatis exiſtimationem apud populum comparari eo ritu voluerunt. Iſta firmari videntur, Sapientiæ c. 14. *Tyrannorum imperio colebantur figmenta. Et hos quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc quod longe eſſent, e longinquo figura eorũm allata, euidentem Imaginem Regis, quem honorare volebant, fecerunt, vt illum qui aberat tamquam præſentem colerent ſua ſollicitudine.* Eò ſpectare credo illud. *Primus in orbe Deos, fecit timor.* Minutius Fœlix in Octauio, *Etiam principib. & Regibus non vt magnis & electis viris, ſicut fas eſt, turpiter adulatio faſſa blanditur. Et cum præclaro viro honor vberiùs & optimo amor dulcius præbeatur, ſic eorum Numen inuocant, ad Imagines ſupplicant, Genium ideſt Dæmonem eius implorant, & eſt tutius per Iouis Genium peierare quàm Regis.* Apud eumdẽ. Aegyptij hominem ſibi quem colunt eligunt, illum vnum propitiant, illum de omnibus cõſulunt, illi victimas cedunt: Et ille qui cæteris Deus, ſibi certè homo eſt velit nolit. Romani amiſſa libertate, cùm vnius imperio regerentur, quàm proni & faciles in aſſignãda ſuis Imperatoribus Diuinitate. Romanus omnis adulatione corrumpitur aut corrumpit, ait Carnotenſis Epiſcopus Policratici lib. 3. c. 10. Tiberij tempora vel ſola fidem faciunt, quæ Tacito auctore lib. 3. Annal. adeò infecta & adu-

latione ſordida fuere, vt non modò primores Ciuitatis, quibus claritudo ſua obſequiis protegenda erat, ſed omnes Conſulares, magna pars eorũ qui Prætura functi, multíque etiam Pedarij ſenatores, certatim exurgerent, fœdáque & nimia cenſerent, cuiuſmodi erant illa cùm diuinas illius occupationes, ipſúmque Dominum dicebant; vt refert Tacitus Annali 2. Non immeritò itaque de iis exclamauit Tiberius ipſe. *O homines ad ſeruitutem paratos.* Quin viuo Tiberio Aſiæ vrbes, damnato Lucillio Capitone, ipſius in Aſia procuratore, Téplum vt Deo poſuere & permiſſum ſtatuere, ait Tacitus Annali 4. Sed cùm idem præſtare vellent Hiſpani, renuit Tiberius, illud pronuncians, *Per omnes prouincias effigie Numinum ſacrari, ambitioſum, ſuperbum, & vileſcet Auguſti honor, ſi promiſcuis adulationibus vulgatur. Ego*, inquit, *me mortalem eſſe & hominum officia fungi, ſatíſque habere ſi locum Principem impleam.* Sed qua mente dictum iſtud ſit à Tiberio exponit Tacitus, alij modeſtiam, multi quia diffideret, quidam vt degeneris animi interpretantur. Satis illi fuit ſe Dominum ſeruorum, Imperatorem militum, Principem reliquorum dicere apud Xiphilinũ ex Dione. Neroniana non attingo, impia plane tempora, quibus obiectum Thraſeæ Pœto inter cœtera, illum numquam pro Cœleſti voce (Neronis) immolauiſſe; Poppeæam (Neronis vxorem) Diuam non credere: Seruilia item

Bareæ Sorani filia cùm curioſitatis Magicæ accuſata eſſet, quaſi in ſalutē Principis exquiſiuiſſet, reſpondit, *Nulla mihi Principis mentio niſi inter Numina*, Tacitus Annal. lib. 16. Quis crederet Senecam & ſapientia & probitate illuſtrem, Cæſarem Polybij numen vocaſſe lib. de Conſolat. ad Polybium c. 26. & aliis locis: at liber hic non eſt erecti, ſed deiecti Senecæ & à grauiore fortuna perculſi, atque vno nomine exulis vitam alieno arbitrio ducentis. Numen Othonis Imp. memoratur Tacito hiſtoriarum lib. 2. Cæcilij Balbi elegans de ea re oratio ad Auguſtum Cæſarem, Policratici lib. 3. c. 14. Imperator Auguſte, tum in multis elucet prudentia tua, quod iſti nondum te omnino inſanum reddiderunt, qui vt tibi applaudant, non modò Diis, ſed tibi ipſi & populo iniuriā faciunt. Deorum ſiquidem minuunt reuerentiam quos parificant tibi, te arguunt inſipientiæ, dum conditionis tuæ repugnante natura, te parem Numinibus eſſe perſuadere præſumunt. Nota ſuperſtitionis inurunt Populum, cui mortales Deos pro immortalibus perſuadent eſſe colendos. Video inſuper aut nonnullarum gentium vitio, aut eorum opinione qui de tuenda Regum Maieſtate & dignitate, nimium quantum anxij ſunt & ſolliciti, ad idololatriam quamdam iter conſtrui, dum cēſent Principes in abditis prætoriorum latere debere, raros aſpectu: quod quid aliud eſt quàm illos

los pro diuino aliquo Numine haberi. Ita enim verè à Pacato Drepanio pronunciatum eſt, Panegyrico ad Theodoſium Imp. *Principes nonnulli Maieſtatem Regiam imminui & vulgari putabunt, niſi eos intra repoſitum Palatinæ ædis incluſos tanquam aliquod Veſtale ſecretum, veneratio occulta conſuluiſſet, niſi intra domeſticam vmbram iacentes, ſolitudo prouiſa & ſilentia latè conciliata vallaſſent.* Quam aculeatè morem hũc, quem Barbarum & inſolentem appellat, Platonicæ philoſophiæ ſtudioſiſſimus Epiſcopus ille Cyrenenſis Syneſius perſtringit, orationę de Regno, ad Arcadium Imperatorem, Magni illius Theodoſij filium; dolétque peſtem illam ſummo in pretio & ſtudio habitam, temporum ſucceſſioni traditam fuiſſe. Damnat ſeueriorem hanc grauitatẽ, qua Imperatores ipſi, palatiis penitus clauſi, & à ſeipſis quaſi obſeſsi, ne ſuorum facili congreſſu vileſcere videantur; quî fit vt paucisſima viderent & audirẽt ij, à quibus rerum gerendarum prudentia & poſtulatur & deſideratur; Atque alio loco dolet, quòd hæ circa Reges Cærimoniæ, inſtitui cœperint, quandoquidem ipſi lacertarum in modum, vix ad ſolis ſplendorem prodeuntium, concludantur, ac ſi vereantur ne homines, ipſos Principes homines eſſe deprehendant. Non aliter Vopiſcus in Aureliano, Imperator qui domi clauſus eſt, vera non nouit, cogitur hoc tãtùm ſcire quod alij loquuntur, facit Iudices quos

fieri non oportet, amouet à Republica quos debeat obtinere: Imperatores iſtius generis perſimiles mihi videntur maritis, qui ſolent mala domeſtica ſcire nouiſſimi, ac liberorũ & coniugũ vitia vicinis canentibus ignorare, ait B. Hieronymus Epiſtola 48. ad Sabinianum. Neſcio an à Regibus, an à conſultoribus, vel vtriſque manauit iſta ſententia, certè Apuleius eo ſæculo, libro de Deo Socratis, liberè ſcripſit, *inter homines qui fortunæ munere opulẽtia elatus, & vſque ad Regni mutabilem ſuggeſtum & pendulum tribunal euectus eſt, rari aditus & longe remotis arbitris, in quibuſdam dignitatis ſuæ penetralibus degens. Parit enim conuerſatio contemptum, raritas conciliat ipſa rebus admirationem.* Comparat autem Reges cum Cœlo, in quo multa nobis inuiſa incognita, quæ ſoli intellecta, neque prompta noſcuntur. Licet autem obſeruare Imperatores eius æui morem hũc pertinaciter retinuiſſe, quod vnico Codicis Theodoſiani loco firmabo lib. 16. tit. de Epiſcopali iudicio l. 2. vbi agitur de Epiſcopis, Synodali ſententia damnatis: *Sit huiuſmodi perſonis, tenore huius legis, inlicitum Sacra noſtra adire Secreta.* Non immerito Syneſius, loco citato, morem hunc barbarum eſſe dixit, Tacitus, id comprobat, Annalium libro 2. iis verbis, loquens de Vonone, quem Parthis Regem impoſuerat Tiberius. *Prompti aditus, obuia comitas, ignotæ Parthis virtutes.* A Perſis, iſtud Parthos hauſiſſe, pro Imperij ſucceſ-

ſione, nemo hiſtoriæ Perſicæ gnarus inficias ibit. Perſis id vſitatum fuiſſe tam notum eſt quam cuique ſua domus, quod & Sacræ & prophanæ litteræ ſatis ſuperque oſtendunt. Leporum & venuſtatum Latij parens in milite glorioſo. Scena, hera ecchum. *Per Epiſtolam aut per nuncium quaſi Regem adiri*, dum aiunt. Regem non alium quàm Perſarum intellige, nam hic vnus & præcipuus & qui merito veteribus: Rex magnus ſimpliciter vocabatur: de qua re poſt Platonē Dio Oratione 3. de Regno. Barbarus planè Hieronymus ille Siculus Rex, de quo ita Liuius libro 24. *Contemptus omnium hominum, ſuperbæ aures, contumelioſa dicta, aditus non alieni modo, ſed tutoribus etiam difficiles.* Gothicum penitus hoc inſtitutum eſt. Theodahadus Rex Gothorum, ad Senatum Romanum, Epiſtola 13. lib. 10. Variar. Caſſiodori, *Certè munus eſt videre Principem.* Et lib. 6. in formula Comitiuæ primi ordinis. *Hoc multo præſtantius adeſſe conſpectibus Regijs.* Nollem equidem Principem tam obuium, tam facilem vt quiſque è populo, cùm volet & quoties libuerit, illum adeat, alloquatur, & importunis nugis animum Principis publica meditātem diſtrahat. Scio Plinium recta ſentire cùm in Panegyrico ſcribit hoc pacto, *Cui nihil ad augendū faſtigiū ſupereſt, hic vno modo creſcere poteſt ſi ſemper ſe ſubmittat ſecurus magnitudinis ſuæ. Et certè non ab vllo periculo fortuna Principum longius abeſt quàm humilitatis.* Atta-

men non omnino probauerim illud vt nec iſta Senecæ lib. 1. de Clementia c. 13. *Princeps fœlix abundè ſibi viſus, ſi fortunam ſuam publicauerit, ſermone affabilis, acceſſuque facilis, vultu qui maximè populos demeretur, amabilis:* Nec illa Pacati Drepanij de Traiano. *At noſter hic omnibus ſpectandus offertur, nec magis communem hunc diem atque ſolem quam noſtrum Imperatorem videri licet.* Ac veriſſimè ſubiungit, *vicinum habent permiſſa faſtidium;* Quæ enim ſequuntur vnius Traiani propria ſunt, quod nunquam mirãtis expleret oculos, magis magiſque viſus expeteretur, & nouum dictu, præſens deſideraretur. Vt priſcos illos Francorum Reges quotannis ſemel ſuis magna pompa ſeſe oſtentantes non omnino laudauerim, ita Principem nimium popularem, quis pro dignitate venerabitur. Commendat Miltiadem Aemilius Probus quod in eo eſſet mira comitas, vt nemo tam humilis eſſet, cui non ad eum aditus pateret. Sed vt ille alio loco ſcribit, Comitas non ſine ſeueritate, neque grauitas ſiue facilitate ſpectanda eſt. Nolim ego in adeundo Principe omnem omnino difficultatis artem adhiberi, quod ſi accidat, iam nõ ipſius Principis culpa eſt, ſed eorum qui admiſſionum curam habent, imo & eorum qui admitti cupiunt. Lepidè Romanorum ſapientiſſimus lib. de breuitate vitæ c. 2. Dementiſſima quorumdam indignatio eſt. Queruntur de ſuperiorum faſtidio, quod ipſis adire volen-

tibus non vacauerint. Audet quiſquã de alterius ſuperbia queri,qui ſibi ipſe nunquam vacat. Stolidiſſima hominum natio quæ ſuis rebus, Principem etiam publicis curis poſtpoſitis, ſtudere vult. Sed ſi verum amamus, cùm Principi otiũ ſit à publica ſollicitudine, quod adire non liceat, iam ipſos iniquè admiſsionales id efficere, palam eſt. Quam acerbè,quàm aſperè illos inſectantur Epiſcopus Carnotenſis,Ioannes Sariſberienſis, & Petrus Bleſenſis. Epiſcopo primas partes vt par eſt deferam.Policratici lib. 5. c. 10. Inclementiam Cerberi omnes abhorrent. *Ego me credo vidiſſe oſtiarios* (ij ſunt admiſsionales) *Cerbero duriores. Apud Inferos tamen Cerberus vnus eſt. Quot ſunt diuerticula Curialium, tot Cerberi ſunt. Atrienſes quoque Cerberos ſuſtinebis, totamque familiam quæ ſemper aut mordet aut latrat. Omnes vero,quotquot ſunt, in vno medicos audierunt,dicentes; Dum dolet accipe: facturi etiam,ſi ſibi expedire crediderint, vt doleat quod ſanum eſt. In vno tamen pijſsimos eſſe miraberis, quod quærebas libenter audiunt, fouent humiliorum cauſas & eo vſque patrocinantur afflictis, dum exhauriunt loculos pleniorum.* Petrus Bleſenſis Epiſt. 4. non ſine ſtomacho hæc ſcripſit. *Oſtiarios Cameræ cõfundat Altiſsimus, facilè enim cuiuſlibet boni viri, vultum, confuſione multiplici & rubore perfundere non verentur. Euaſiſti terribiles virgas,ſi nihil dederis oſtiario,nihil actum eſt. Si nihil attuleris ibis Homere foras. Poſt primum Cerberum tibi ſupereſt alius. Hor-*

ribilior Cerbero, Briareo terribilior, nequior Pigmalione; crudelior Minotauro. Quantacumque tibi mortis neceſsitas aut diſcrimen exhæredationis incumbat, non intrabis ad Regem.

CAPVT QVARTVM.

Moderatio Principis à pietate & metu Diuini Numinis.

SAlluſtij Criſpi apud Tacitum Annali primo, ſentētia ab omni honeſtate & æquitate aliena mihi ſemper viſa eſt. Cum Poſthumus Agrippa, Tiberij mandato, initio noui principatus, interfectus eſſet, nuncianti Centurioni factum eſſe quod imperaſſet, reſpondit Tiberius, neque imperaſſe ſeſe & rationem facti reddendam apud Senatum. Extimuit Saluſtius particeps ſecretorū, monuit Liuiam Tiberij matrem, *ne ipſe Tiberius vim principatus reſolueret, cuncta ad Senatum vocando; eam conditionem eſſe imperandi, vt non aliter ratio conſtet quàm ſi vni reddatur.* Salluſtius hiſtoriæ ſcriptor, Ciceroni æqualis, *homo nequam* vocatur à Lactantio lib. 2. Diuinarum Inſtitution. c. 12. illius ex ſorore nepotem hunc longe nequiorem arbitror. Non enim Reipublicæ parentem, non tutorem, non publicæ ſalutis vindicem, ſed Tiberium, hoc eſt ſæuiſsimū & truculentiſsi-

mum tyrannũ nobis ob oculos ponit. Neque vero is ſum qui penes populum ſummam rerũ conſiſtere velim. Apage, ſcæuũ Senatum illum virorum eruditorum & grauium, qui de vita, de capite, de ſalute Principis ſtatuat. *Populus aut ſuperbè dominatur, aut humiliter ſeruit*, ait Liuius l. 24. Aurea Taciti verba loco citato. *Nihil in vulgo modicum, terrere ni paueant, vbi pertimuerint impunè contemnendum.* Cui itaque rationem reddet Princeps, Deo, conſcientiæ propriæ, famæ, ac denique amori & ſaluti ſuorum, cuius non aliud conceptaculum quàm mens Principis. Eæ metæ, ii obeliſci quibus circus potẽtiæ Principalis concluditur. Ab iis moderatio Principis & ſummæ illius poteſtatis petenda eſt. Nullus Regum eſt aut Principum tam ſecors, vel impius, qui non aliquando recogitet Summum aliquod Numen non tantùm vniuerſi molem hanc regere, verumetiam minima quæque Diuinam illam curam & ſollicitudinem atque adeo Prouidentiam non effugere. Imperiorum ac Regnorum euerſiones, populorum ſtrages, Vrbium clades, tot tantæque rerum humanarum conuerſiones & mutationes, quas longè antè præuiſas humana potentia, vel potius imbecillitas vitare non potuit, ſatis ſupérque indicant iis omnibus ſupremum aliquem præeſſe Dominum, qui veluti reciprocante fluctu has rerum vices efficit. Apud Senecam patrem, ſuaſoria ſecunda, præ-

clarè dictum. *Numquam in ſolido ſtetit ſuperba fœlicitas & ingentium Imperiorum magna faſtigia obliuione fragilitatis humanæ collapſa ſunt.* Quiſquis Regum ſummam illam fortunam ſuam à ſevno pendere putat, non ſine tremore, Nabuchodonoſoris Regis, miſerandum caſum apud Danielem ſpectet, c. 4. Iam ille terram deſpiciebat, cuius imperio non magna portio parebat, ipſi Cœlo imperaturum ſe confidebat; At Daniel diuinorum arcanorum fideliſsimus interpres Regem ſuæ veſaniæ admonuit. *Septem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias quod dominetur Excelſus, ſuper regnum hominum, & cuicumque voluerit det illud. Quod autem præcepit vt relinqueretur germen radicum eius, ideſt arboris, Regnum tuum tibi manebit, poſtquam cognoueris poteſtatem eſſe Cœleſtem.* Scite apud Plinium in Panegyrico ad Traianum. *Vt cæterorum hominum ita Principum illorum omnes, qui ſibi Dij videntur, æuum omne & breue & fragile.* Aptiſsimè Iſidorus Peluſiota l. 3. Epiſtola 94. ſcripſit, Deum cum potentioribus & ſublimioribus ſublimiliter ſe gerere, cum humilioribus benignè. Nam Regum ſeſe Dominum appellat, Seruus meus Nabuchodonoſor; &, Dic ſeruo meo Dauid: Sed pater orphanorum & Iudex viduarum, variis ſcripturæ locis audit. Quoties occurrit illud, in libris ſacris, à Deo poteſtatem Regibus attributam, & illos Dei miniſtros eſſe. Hæc toties & tandiu decantata. Iſidorus Peluſiota libri

tertii Epiſtola 161. eleganter iſtud pictorum inuolucrum interpretatur, quo manum ſolam pingere ſolent, coronam capiti alicuius eminentis imponentem, ſignificantes Imperium illi cœlitùs datum fuiſſe. Quàm demiſsè, quàm modeſtè Cyrus, euerſo Aſſyriorum Imperio & extincto Baltaſare Rege, iſta pronunciauit lib. 1. Eſdræ c. 1. Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus Cœli. Apud Zonarã Tom. 1. vbi agit de Numa Pompilio Romanorum Rege, refert patrem Numæ dixiſſe, cùm filio perſuadere vellet oblatũ à Romanis Regnum acciperet. Principatum eſſe quoddam Diuinum donum & Numinis obſequium. Syneſius, oratione de Regno, illud refert ex Platone. Moderatio iſta primaria & præcipua Regiæ & ſummæ poteſtatis eſt, ſi ii quorum ea cura eſt, Principi inſtillent Diuini Numinis cultum ac pietatem, imo metum, vt intelligant quicquid ſint, totum hoc à Deo ſe accepiſſe, quin tã variam, tam leuem & parum firmam fortunam ſuam vt Deus, vel momento & nonnumquam memorãdo infortunio illam eripere poſſit. Ex veteribus iſta eximia mutuatus eſt Ioannes ille pereruditus Carnotẽſis Epiſcopus, Policratici lib. 4. c. 1. *Quod princeps poteſt ita à Deo eſt vt poteſtas à Domino non recedat, ſed ea vtitur per ſuppoſitam manum, in omnibus doctrinam faciens Clementiæ aut Iuſtitiæ ſuæ. Qui ergo reſiſtit poteſtati Dei ordinationi reſiſtit, penes quem eſt auctoritas conferendi eam,*

& cum vult auferendi vel minuendi eam. Antea illud monuerant Patres Concilij Toletani 6. c. 14.vbi de Rege agitur. *Neſas eſt in dubium deducere eius poteſtatem, cui omnium gubernatio, ſuperno cōſtat delegata Iudicio.* Et quidem quò maius & præſtantius eſt beneficiũ quod illi à Deo collatum eſt, eò magis memorem ſe & gratum teſtetur Princeps. Agapetus Parænesi ad Iuſtinianum Imperatorem. Vt Rex excellentiorem cæteris dignitatem habet, ita ſupra cæteros homines Deum qui illam dignitatem ſibi contulit, honorare debet. A Syneſio Epiſcopo Cyrenenſi iſtud eſt, oratione de Regno, cuius, vt cætera omittam, illud Regibus præſertim inculcādum. Religionē & pietatem in Deum, Regiæ dignitatis baſim eſſe firmiſſimam, cui dum hæc conſtanter adhæret, nulla omnino vi & tempeſtate concuti poteſt. Porrò liceat obiter adnotare hoc loco præſtantiſſimum illum Philoſophum, & Epiſcopum, appellare Regem, Simulachrum viuens quidem & animatum, hoc eſt Dei Opt. Maximi Imaginem referens, in regendis & ſeruandis hominibus, quódque Deus, ad ſimilitudinem Cœleſtis imperij, Regi dederit terrenum Regnum; Quod extat apud B. Ignatium Epiſtola ad Smyrnenſes, & Agapetum in parænesi ad Iuſtinianum Imp. Sed hîc appoſitè ad mentem Syneſij, Rex nihil aliud eſt quàm pietatis ac religionis diuinitùs fabricatum exemplar & ſimulachrum.

Quod adeò verum eſt vt Rex quantum à cultu & obſequio erga Deum abſit, tantum ſe à Regij nominis vi & energia, atque adeò Maieſtate abeſſe intelligat. Et certè nihil tam obſequentes & morigeros Principi ſubditos reddit, quàm ipſius erga Deum pietas & religio, vt ait Iſidorus Peluſiota lib. 2. Epiſtola 196. Addit ipſe Agapetus, vt Rex Dei præpotentis exemplo ſuos curet, quam optimos, iuſtiſſimos & religioſiſſimos fieri, & qualē erga ſe Deum optet talem ſuis ſeſe ipſe præbeat. Ab vna pietate ac religione omnia hæc profluere & dimanare ſi quis pius exiſtat, facilè agnoſcet. Iſidorus Peluſiota lib. 4. Epiſtola 142. tum demum Regi principatum fortunatiſſimum & fœliciſſimum fore ſcribit, vbi Dei cultus, pietas, quæ eſt bonorum omnium ſupremum, in Principis mente principem locum obtinuerit. Explicat autem quid ſit iſta pietas & Religio, & quàm latè ſeſe diffundat; eámque vult eſſe quā efficiat recta de Diuino Numine opinio, & ſincera incorruptáque confeſſio, quam comitetur timor atque dilectio Dei, vna cum beneuolentia erga ſuos. Rectæ illius & ſinceræ pietatis ac religionis, vt hoc dicam obiter, nota præſcribitur certa & indubitata, à Leontio Bizantino, eruditiſſimo ſcriptore, lib. 1. contra Neſtorium & Eutychem, Patres illos recipere qui in Eccleſia celebres ſunt, & Conciliorum Eccleſiæ decretis & definitionibus acquieſce-

re,& qui aliter faciat Dei ordinationi reſiſtere, & in omnes Chriſtianos ſeditioſum eſſe. Eam demum veram eſſe pronunciant Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodoſius ſenior, Imperatores, *quam diuinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis religio vſque ad nunc ab ipſo inſinuata declarat, quamque Pontificem Damaſum ſequi claret.* Cod. Theodoſ. lib. 16. tit. 1. l. 2. Verè Chriſtiani Principis, iſta oratio eſt, quæ Iuſtiniani Imperatoris, de conceptione Digeſtorum ad Tribonianum. *Deo auctore noſtrum gubernante Imperium, quod nobis à cœleſti Maieſtate traditum eſt, & bella fœliciter peragimus, & pacem decoramus, & Statum Reipublicæ ſuſtentamus, & ita noſtros animos ad Dei omnipotentis erigimus adiutorium, vt neque armis confidamus, neque noſtris militibus, neque bellorum ducibus, vel noſtro ingenio, ſed omnem ſpem ad ſolam referamus ſummæ prouidentiam Trinitatis.* Et certe tantum non Chriſtianè iſta proloquitur M. Antonius Imperator, libro ſexto de vita ſua, quandoquidem vniuerſum hoc conſenſione, ordine & prudentia conſtat, mūdi Rectorem ſe venerari ac in eo ſpem ſuam collocare, ſeque animo conſtanti & firmo eſſe profitetur. At ſi Magiſtratus rerum à ſe geſtarum rationem Principi à quo inſtituti ſunt, reddere teneantur, quidni etiam Reges & Principes Deo, à quo toti pendēt, & cui debent omnia, rationem reddent vel recte vel ſecus, geſtæ legationis. Imo quantum timoris illud Princi-

pibus incutere debet, dum audiunt ipſos inſontes, innocentes, pro ſuorum ſubditorum delictis & flagitiis Deo pœnas dare. 1. Regum c.12. ait Samuel ad populum Iſraëliticum, *ſi perſeueraueritis in malitia, & vos & Rex veſter pariter peribitis.* Et licet Principi poteſtate abutenti nullus alius eſſet metus quàm à conſcientia propria, an non ſatis eſſet, cùm nullum acerbiorem cruciatum experiri poſſit, Tacito auctore, ſic enim lib. 6. Annal. de Tiberio loquitur. *Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegunt, quin tormenta pectoris ſuaſque ipſe pœnas fateretur.* Et priori commate. *Nec fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ (Socrates) firmare ſolitus eſt, ſi recludantur Tyrannorum mentes poſſe aſpici laniatus & ictus, quando vt corpora verberibus, ita ſæuitia, libidine, malis conſultis animus dilaceretur.* Extat apud Platonem lib. 9. de Republica. Ac veriſſimum illud eſſe ex eo coniicere liceat, quòd *habeat neſcio quos internos mens ſcelerata carnifices, aut ipſa ſibi carnifex conſcientia eſt*, vt ſcribit Pacatus Drepanius, Panegyrico.

Capvt qvintvm.

Moderatio Principis, à cognitione ſui, & conditione poteſtatis,

Moderate nec ſupra humanum modũ Regem & Principem ſe ſe geſturum, ſi pietati, ſi religioni morem gerat, capite ſuperiori oſtendimus, nunc ſi ſeipſum conſulat, ideſt mortalem ſe, non immortalem, Regem, non Tyrannum, Patrem tutoremque ſuorum, non tortorem, non peſtem perniciemque cogitet, illud ipſum expendamus. Sapientiſſimus omnium mortalium quàm verè iſta de ſe pronunciauit, Sum & ego mortalis homo ſimilis omnibus. ſubditque, Nemo ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium, Vnus ergo interitus eſt omnibus ad vitam & ſimilis exitus. Sapientiæ c. 7. Quicquid Regi affingat adulatio, tamen ipſe mortalis eſt, fœlicitatem ſuam, fortunam ſuam quandiu volet contempletur, ipſa vitrea eſt. Dicat cum Seneca, *Accepimus peritura perituri.* Eleganter Agapetus in exhortatione illa ad Iuſtinianum Imperatorem. Princeps cuilibet æqualis eſt naturâ & conditione corporis, & poteſtate dignitatis ſimilis eſt Deo, præſidi omnium & ſupremo; Oportet igitur Regem, Dei exemplo, iracundia minimè com-

moueri, vt mortalem non efferri. Ac licet effigie diuina honoratus: attamen ex puluere terreno cõpoſitus eſt, quo edocetur vt erga omnes ſeruet æqualitatem. Iſidor. lib. 3. ſentent. c. 49. Dedit Deus Principibus, præſulatum pro regimine populorum, & illis eos præeſſe voluit, cum quibus vna eſt eis naſcendi moriendíque conditio. Principis potentiam eximiam & ſummam eſſe quis ignorat? at beneficam non maleficam eſſe debere fatentur omnes recta ſentientes. Plinius præfatione hiſtoriæ naturalis, Veſpaſianum A. ſic alloquitur, *Nec quidquam in te mutauit fortunæ amplitudo, niſi vt prodeſſe tantumdem poſſes & velles.* Hoc ex collatione & diſſimilitudine Regis cum Tyranno, veteres qui iſta pertractarunt, abundè explicant. Ac Dio ille Chryſoſtomus, Oratione prima de Regno atque alibi, disertè Regem cum paſtore ouium cõparat, cui nulla maior cura & ſollicitudo incumbit quàm ſeruandarum ouium, ſed hæc vulgo nota, & ab innumeris pertractata. Et quid aliud eſſe putamus Imperium ſeu Regnum, *niſi curam ſalutis alienæ*, vt ait Ammianus Marcellinus lib. 29. Senecam imitatus eſt, apud quem lib. de conſolatione ad Polybium c. 26. *Magna ſeruitus eſt, magna Fortuna.* Nec abludit B. Ambroſius Epiſtola 11. *Quanta in ipſo Imperio ſeruitia, cùm ad aliorum non ad ſuum viuant arbitrium.* Tiberio id ita viſum eſt, quemadmodum Dio & Taci-

tus non vno loco prodidere,ſed ſubdolum & tectum huius Cæſaris ingenium quis neſcit? Alexandrum Seuerum Imperatorẽ optimum, ex animo ſeſe arbitror appellaſſe diſpenſatorem publicum,vt eſt à Lampridio relatum,nec aliter Adrianus Imperator, apud Spartianum aiebat ſe Rempublicam ita geſturum,vt ſciret Populi rem eſſe non propriam. Explicat iſtud Seneca lib.7.de beneficiis c.4. Iure Ciuili omnia Regis ſunt, ſic Plinio viſum in Panegyrico ad Traianum, *Cuius eſt quicquid eſt omnium, tantùm ipſe quantum omnes habet.* Pergit Seneca, & eo capite ac ſequentibus. *Ad Reges poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas. Sub optimo Rege omnia Rex imperio poßidet, ſinguli dominio. Cæſar omnia habet, fiſcus eius priuata tantùm ac ſua, & vniuerſa in Imperio eius ſunt, in patrimonio propria.* Plinius idem, *Tandem Imperium Principis quàm patrimonium maius eſt.* Quæ res effecit, vt Principes ſubditorum veluti tutores habiti ſint,imo etiam nuncupati.Seneca lib.1.de Clementia c.4. *Principes Regéſque, & quocumque alio nomine, ſunt tutores ſtatus publici.* Plinius Iunior Panegyrico, & lib.10. Epiſtola 60.ad Traianũ. *Diem, Domine, quo ſeruaſti Imperium, dum ſuſcipis, quanta mereris lætitia, celebrauimus, precati Deos vt te generi humano, cuius tutela & ſecuritas ſaluti tuæ innixa eſt, incolumem florentémque præſtarent.* Non aliter Lactantius Conſtantinum Magnum alloquitur, lib.1. Diuinarum Inſtitutionum c.1.

Guber-

Gubernaculum Reipublicæ etiam ſenex teneas, tuiſque liberis, vt ipſe à patre accepiſti tutelam Romani nominis tradas. Seneca lib.1.de Clement.c.18. *Subditorum, Principi non tradita ſeruitus, ſed tutela.* Et quò quæſo tutela referri debet, aut vnde nomen ſortita eſt poteſtas illa, niſi ad tuendum aliquem, & inde tutores dicti quaſi tuitores atque defenſores, quemadmodum Iuriſconſulti docēt. Hinc merito leges animaduertunt in tutores qui pupillos circumueniunt, & dolo malo res illorum curant, vel potius dilapidant & improbè adminiſtrant. Apud Deum æquiſſimum Iudicem iſtius tutelæ Principes rationem reddent. Sapientiæ c.6. Reges & Magiſtratus alloquitur ſapiens. *Altiſſimus interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur, quoniam cùm eſſetis miniſtri Regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem Iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè & cito apparebit vobis quoniam Iudicium duriſſimum in his qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Deus qui eſt omnium dominator, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam, quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus.* Neque verò Principes nomine Tutorum, pro ſua in ſubditis bona fide tuendis cura, tantummodo donatos fuiſſe legimus, Patres & parentes publicos nūcupatos fuiſſe perſpicuum eſt. Theo-

dericus Rex apud Caſſiodorum Epiſtola 42. libro 4. parentem ſe publicum aſſerit, ſic Iuſtinianus Imperator ad Ioannem Præfectum prætorio, *Omnes ſubiectos noſtros & filios & nepotes habere exiſtimamus affectione paterna & imitatione*, Cod. lib. 3. tit. de Inofficioſ. teſtam Philo locis quamplurimis elegantiſſimè iſtam explicat appellationem Patris Principibus attributam. Nec abs re, Principibus iſtud aſſignatum nomen, exponente Seneca lib. 1. de Clementia c. 14. vt ſcirent datam ſibi poteſtatem paternam, quæ eſt temperatiſſima liberis conſulens. Subditis optimè conſultum eſſe quis non videt, qui nihil non humanum, non benignum, non æquum à Principe, hoc eſt à parente ſuo expectare poſſint aut debeant; Et certe *paterna pietas pro liberis conſilium capit*, vt lex loquitur. Blandum iſtud Patris nomen quoties ſibi ob oculos ponet Princeps, quã moderatè erga ſubditos ſe geret. At filios habebit immorigeros; ad bonam frugem aliquando redibunt, ſed obſtinatiores, verum *vt fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu, ſic animaduerſiones Magnarum Poteſtatum, terrent latius quàm noceant*, ait Seneca de Clementia lib. 1. c. 8 nonnullorum exemplo magis quàm ſupplicio, Siquidem, vt ſcribit Quintilianus declamatione 274. *Quoties noxios crucifigimus celeberrimæ eliguntur viæ, vbi plurimi intueri, plurimi commoueri hoc metu poſſint, omnis enim pœna non*

tam ad delictum pertinet quàm ad exemplum. Ex Platone iſtud deſumptum eſt. Explicat Seneca eiuſdem libri c. 22. Princeps animaduertit in aliquem, aut vt eum quem punit emendet, aut vt pœna eius cæteros meliores reddat, aut ſublatis malis ſecuriores cæteri viuant. Quantumuis peccent liberi, at qui ius animaduertendi habet, pater eſt. Patri quid in liberos non licet, quid non poteſt? at quod natura quod lege licet. Et verè Clemens Alexandrinus 2. Pædagogi. Qui faciunt omnia quæ licet, cito impelluntur vt faciant quæ non licet. Vnde B. Chryſoſtomo oratione de Principatu: Dignitates inducunt multa facere quæ Deo non probantur. Chriſtianum neſcioquid redolet iſtud M. Antonini Philoſophi Imperatoris. Quanta eſt potentia hominis, cui licet nihil aliud facere quàm id quod Deus ſit laudaturus. Antoninus Imp. lib. 12. de vita ſua.

CAPVT VI.

Moderatio Principis à ſtudio famæ.

HOC æuo frontem perijſſe de rebus omnes boni conqueruntur, at ſi quis pudor ſuperſit, in Rege ac Principe potiſſimum deprehendi debet. Regi enim in primis illud curandum eſt vt ſubditi, vt exteri de illo optime

ſentiant, & poſteri iucundiſſimam ipſius memoriam exiſtiment. Quæ dum apud ſe Princeps meditatur, cauebit potiſſimum, ne quid contra publicam vtilitatem, contra honeſtatem & æquitatem admittat; Eleganter Tacitus libro quarto Annalium: *Cætera Principibus ſtatim adeſſe, vnum inſatiabiliter parandum, proſperam ſui memoriam: Nam contemptu famæ contemni virtutes.* Tacitum capio, ſiquidem Princeps; qui ſuæ exiſtimationi & famæ nuntium remiſit, qui verecundiam ad infrunitos & antiquos Senecæ, ſeu veteris probitatis homines amandat, qui ſubditorum vocem publicam arroganter ſpernit, quàm facilè in teterrima quæque vitia prolabitur. Non vt priuato ita Principi, iſta competunt, ſiquidem eodem Tacito auctore, *cæteris mortalibus in eo ſtare conſilia quid ſibi conducere putent, Principum diuerſam eſſe ſortem quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.* Quam ob cauſam Plinius Panegyrico ad Traianum dixit. *Perpetua Principem fama inuitum manet, & bona concupiſcenda eſt.* A Seneca illud eſt libro 1. de Clementia cap. 15. *Principes multa debent etiam famæ dare.* Illud enim veriſſimum eſt quidquid Princeps aut ſecundum virtutem aut ſecus geſſerit, in ipſam redundare Rempublicam. Vnde harum rerum intelligentiſſimus Tiberius Auguſtus, Germanicum & Druſum ſic admonebat apud Tacitum lib. 4. Annalium. *Ita nati eſtis vt bona malàque veſtra*

ad Rempublicam pertineant. Neque verò illos non poſſum non damnare, qui omnia Principis dicta factaque ad ſpeciem compoſita eſſe volũt. Peſtilentiſſimum iſtud genus hominum, quod nobis, pro hominibus, impuriſſimas & crudeliſſimas belluas effingunt. Nullum principi & execrandum, & magis fugiẽdum vitium quàm ſimulatio. Scitè Seneca libro 1. de Clementia c. 1. *Nemo poteſt perſonam diu ferre, ficta citò in naturam ſuam redeunt.* Difficile eſt naturam ſuam effugere, aiebat alter apud Senecam Patrem, controuerſia 4. lib. 9. Tãdem aliquando quantumuis ſubdolè & vafrè ſeſe compoſuerit. *Vera redit facies, diſſimulata perit.* Ea erat Tiberij moderatio, ſed arrogans, vt prodit Tacitus, quam Petronius Arbiter dixiſſet ſeueram triſtitiam. Nullam vitæ ſuæ partem ignotam eſſe exiſtimet Princeps quantumlibet ſolitudine, Domitiani exemplo delectetur. *Principis facta dictâue rumor excipit, ideo nullis magis curandum eſt qualem famam habeant, quàm qui qualemcumque meruerint, magnam habituri ſunt,* vt ſcribit Seneca lib. 1. de Clementia c. 8. Plinius Panegyrico. *Habet hoc magna fortuna quod nil tectum, nil occultum eſſe patitur; Principum verò non modò domus, ſed cubicula ipſa intimóſque ſeceſſus recludit, omniaque arcana, noſcenda famæ proponit atque explicat.* Non aliter apud Caſſiodorum libro 6. variarum c. 8. in formula illuſtratus vacantis. *Nam malo inſtituto viuere nec Principi fas eſt quando & de illo*

populus occultè poteſt dicere, cui mores ſuos publicè nullus auſus eſt imputare. Permulti reperiuntur qui ad gratiam Principis aduerſus veritatem aut ſcribant, aut dicant etiam dum viuunt, ſeu quia id ita è re ſua eſſe arbitrētur, ſeu quod decretorium ſtylum reformident: mortuis verò quanta inurunt ſtigmata. Fama illa quæ ad poſteros dimanat poſt obitum, Principi nullo modo contemnenda videtur. Maximè illud obſeruandum quod tradit Egeſippus libri 2. de excidio Hieroſolymitano c.1. Sepulto Herode libera, vt in defunctos ſolent, iudicia populi depromebantur, grauem fuiſſe illum & intolerabilem, iniuſta imperia in ciues exercuiſſe. Ita apud Fortunatum lib.2. Rhetoricorum. *Cùm depoſita dominatio eſt conſtat tyrannum fuiſſe.* Senecæ veriſſimum pronunciatum. *Fama liberrima Principum iudex.* De Conſolatione ad Marciam C.3. At vrget Plinius Panegyrico. *Nullus eſt locus, nullum tempus quo funeſtorum Principum manes à poſterorum execrationibus conquieſcant.*

CAPVT VII.

Moderatio Principis à periculis.

PRINCIPI maxima quæ impendent pericula, illum ſatis ſupérque commonefaciunt, vt ſe modeſtè moderatéque gerat, erga omne hominum genus. Nihil enim tam ipſi cauendum quàm odium ſiue ſuorum, ſiue exterorum, quod in varia ſemper Reges & Principes coniecit diſcrimina. Etiam innocentiſſimi Reges iſto metu minimè ſoluti ſunt. Regia ipſa potentia periculum ſibi exſeſe creare videtur B. Cyprianus Epiſtola 2. *Maior Regibus quàm cæteris metus eſt, tam ille timere cogitur quàm timetur.* Antea id docuerat Minutius Fœlix in Octauio. *Rex es tam times quàm timeris, & quamlibet ſis multo comitatu ſtipatus, ad periculum tamen ſolus es.* Seneca tacitè quî iſtud fiat indicare videtur libro 1. de Clementia C. 19. *Errat ſi quis exiſtimat tutum eſſe ibi Regem, vbi nihil à Rege tutum eſt, ſed ſecuritas ſecuritate mutua paciſcenda eſt.* Regem innuit cui tam facilè & iucundum ſubditos iugulare, quàm olim Magiſtratui Romano munus gladiatorium edere. Et quidem verum illud eſt eiuſdem Senecæ. *Prope eſt vt libenter damnet, qui citò; Prope vt iniquè puniat, qui nimis.* Diſcat Princeps ab eodem non minus

illi turpia eſſe multa ſupplicia, quàm Medico multa funera. Vtinam humanum & clementem Principem iſto metu & periculo liberare poſſemus. Sed quoniam Principis hoſtes à quibus ſibi metuere debet, non vnius ſunt generis, illorum vnumquodque genus expendamus. Sunt quibus eſt odioſus Princeps, aliis Monarchica politiæ forma diſplicet; Et horum nonnulli apertas profitentur inimicitias, alij tacito in Principem feruntur odio, & dum ipſi proximè adſtant, ſatis ſe latere arbitrantur, ſi modo velut ſiparium aliquod, vel cumulandarum opum ſtudium, vel dignitatũ ambitum opponant, vt cuique fidem faciant totos ſe in eo eſſe quatenus ſuis rebus priuatis tantummodo conſulant. Sunt qui quamquam habendi cupiditate, vel ambitione ducantur, à priorũ conſiliis penitus abhorrẽt, quique ſaluum magis quàm perditum Principem velint. Peſtes illas priores Princeps aduertat hoc vnum moliri, vt ipſum euertant, & publicum turbent rerũ ſtatum; Poſteriores & domeſticas, quanquam illarum innoxia ſint conſilia, nihilominus tamen Principi vehementer obeſſe demonſtrabimus. Quibus artibus id efficere tentent nobis eſt videndum, nam de apertis Principis hoſtibus alius eſt dicendi locus. Liberalitas aut nulla eſt, aut Principum virtus propria, ecquid enim ſordes & auaritia cum Principis dignitate; quæ nulla alia re vel illuſtrior vel locuple-

tior eſſe poteſt quàm liberalitate. Pacatus Drepanius, Panegyrico ad Theodoſium A. *Vt ille qui cuncta ambit Oceanus, quas ſuggerit aquas terris, recipit è terris, ita quicquid in Ciues manat à Principe, redundat in Principem, & rei & famæ conſulit munificus Imperator; lucratur eam gloriam cùm det pecuniam reuerſuram.* Plinium non audio qui Panegyrico, ſcripſit nullum eſſe magno Principe immortalitatémque merituro impendij genus dignius, quàm quod erogatur in poſteros; viuentes dicere debuit, quibus prius conſultum eſſe par eſt quàm futuris. Sed vt ipſa auaritia facilè expleri non ſolet, qui opibus à Principe aucti ſunt facilem nacti Principem, vix conquieſcunt donec exhauſto fiſco, priuatorum opibus inhient; Et quamuis Iuſtitiæ conſentaneum videatur damnatorum bona, fiſco addicta eſſe, at vni fiſco augendo, frequenti & leui reorum damnatione ſtudere, nonnihil cum æquitate pugnare videtur. Optimè Seneca lib. 1. de Clementia c. 15. *Principi ſemper curandum vt gratuita ſit ſeueritas*: Ita ſi hæc auaritiæ non ſatiſfaciant, iam populus grauiſſimis vectigalibus diuexãdus eſt; iam indictionibus oppreſſi ſubditi, vix hirudines illas aulicas ad commiſerationem permouent, Illud aurum purius ſplendidiúſque credunt, quod dederint dolentes, quod hominum lacrymæ non amnium aquæ abluerint, nec è terrenis ſpecubus egeſtum, ſed è viſceribus miſerorum eſſet effoſſum. Me-

minerit Princeps illud Trogi lib.38. Aſia ſollicitata à Mithridate Rege Pōti, deficit à Romanis,quia vexabant eam rapacitas Proconſulum, ſectio publicanorum & calumniæ litium. Hæc pro nihilo ducit auaritia, illius explendæ ſpes nulla,nec enim, vt natura fert, copiam ſatietas ſequitur, ſed creſcit in dies habendi fames & parandi rabiem parta irritant. Vt ægrotorum ſitim potus accendit, vt ignis arentibus non obruitur, ſed augetur, ita coactæ publica egeſtate diuitiæ, auiditatem ieiunæ mentis acuūt. Ac tum apud ſubditos tranſit in vota paupertas, hinc omnis illa erga Principem beneuolētia aut plane extincta eſt, aut grauiter labefactata iacet. Hinc odium in Principem, quod periculi nonniſi plenum eſſe poteſt. *Nullus perniciosior hoſtis quàm quem audacem anguſtiæ faciunt.* Seneca lib. 2. Natural. quæſtion.c.59. Sic apud Liuium lib.42. *Inopia rerum nouandarum occaſio eſt, & pauperes odio rerum ſuarum mutare omnia ſtudēt, turba atque ſeditionibus ſine cura aluntur, quoniam egeſtas facilè habetur ſine damno*, ait Saluſtius in Catilinaria. Rationem reddit Ariſtides, oratione priore de pace; Nam dum nouas res moliuntur ſi conatibus excidant,in priore ſemper conſiſtant ſtatu,at ſi vincant, malis omnibus liberentur. Nec minus diſcriminis imminet Principi ab iis qui maximas quaſque dignitates omni ambitione conſectantur. Vt enim omnium rerum humanarum ſpes nos poſtrema deſerit,

ita qui honorum ambitui totos ſe manciparũt, in eo conſeneſcant neceſſum eſt. Princeps fortunatum ſe putat, ſi ſummates rerum fortiter ac fœliciter gerendarum idoneos & acres habeat. *Sed induſtria & vigilantia noxiæ quoties parando regno finguntur.* Tacit. lib. 4. Et ij ſunt nonnunquam. *Qui nolunt occidere quenquam, Poſſe volunt.* Iuuenalis Satyra 10. Quam venerabundi Regi adſtant, quanta benignitate & comitate plebeculam ſibi demerentur. Sed ipſi à Tibullo diſcant libro 3. Elegia 3. *falsò plurima vulgus amat.* Aptè Tacitus Annali 2. *Breues & infauſtos Populi Romani amores* dixit, Nec aliter Iuuenalis, *Turba Remi ſequitur fortuuam vt ſemper & odit Damnatos.* Vulgus vbi vbi ſit ſemper vulgus eſt. *Populus nouarum rerum cupiens pauiduſque.* Tacito lib. 15. Quàm ornatè vulgi leuitatem & inconſtantiam deſcripſit Maximus Tyrius ſermone 15. Et libenter audit Populus non deeſſe qui illius vicem doleant, qui illi opitulandum dictitent, qui neſcio qua miſericordia moti, Principi magno animo referant populum veteribus indictionibus preſſum ad noua deficere. Iis vocibus ineſcatus populus, more truculentæ alicuius belluæ, cui perſimilis eſt Platone auctore libro 6. de Repub. in obuium quemque incurrit. Non aduertit hæc eſſe, vt refert Themiſtius oratione 4. illicium eorum quos ſoluta legibus delectat vita, quorum crudelitas indemnatos necandi, improbitas pri-

uata capiendi; libido honeſta fœdandi, ius atque impunitatem requirunt. Quid illud ſit, ſatis apparet, & quid monſtri alat popularis iſta facilitas, indicat Dio Chryſoſtomus oratione 20. de ſeceſſu. Non abſque ratione dictū à Tacito lib. 2. Annal. *Diſplicere regnantibus ciuilia filiorum ingenia*, quidni potius aliorum.

CAPVT OCTAVVM.

Princeps an reprehendendus, & quomodo.

PRINCIPI adulandum eſſe nefas duco, blandiendum eſſe contendo. *Vt er[illegible] adulationi fœdum crimen ſeruitutis, ita malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt*, auctore Tacito lib. 1. hiſtoriarum, medium iter capeſſendum. Ab vtroque extremorum quàm longiſſimè abeſſe debet vir bonus. Iſtud Taciti mente ſæpius expendat Annali 4. *Adulatio moribus corruptis perinde anceps, ſi nulla & vbi nimia eſt.* A Seneca depromptum, apud quem lib. 4. Naturalium quæſtion. Præfatione legimus iſtud, *Eò dementiæ venimus vt qui parcè adulatur pro maligno ſit.* Gallos adulandi neſcios deſcribit Iulianus A. quem nos Parabatā dicimus, in Miſopogone. Et quis veterū Gallos à ſingulari erga Reges ſuos cultu & veneratione non commendauit. Eſt autem maligni-

tas omnis cum odio coniuncta, Galli itaque olim ſuos Reges vt impensè deamabant, ita pudenter venerati ſunt, at citra adulationem. Arduū illud & perdifficile quiſpiam exiſtimauerit, inter abruptam contumaciam & deforme obſequium pergere iter ambitione & periculis vacuum, vt aiebat Tacitus Annali 4. Adulationem vt pote veritatis hoſtem plane damnamus, blanditias cum veritate bellè conſentientes non modò retinemus, imo neceſſarias eſſe ducimus, vbi cum Principe ex compacto res agenda eſt. *Regibus quæ proſunt, ita tamen vt delectent ſuadenda ſunt.* apud Senecam patrem ſuaſoria prima. Conſultiſſimè Iuo Carnotenſis Epiſcopus Epiſtola 171. *Reges ſi aliquando poteſtate ſibi conceſſa abutuntur, non ſunt à nobis grauiter exaſperandi, ſed vbi ſacerdotum admonitionibus non adquieuerunt, Diuino Iudicio ſunt reſeruandi.* Hildebertus Cœnomanenſis Epiſcopus Epiſtola 35. *Blandiri oportet non detrahere Poteſtati.* Et Epiſtola 73. apud Sereniſſimum Regem, *opus eſt exhortatione potius quàm increpatione, cōſilio quàm præcepto, doctrina quàm virga.* Eadem Petrus Bleſenſis Epiſtola 113. ad Epiſcopum Aurelianenſem. *Si Regis Francorū faciē reuereris adhibe tibi de Coepiſcopis tuis qui ſpiritu Dei aguntur, & tanta verborū moderatione vtaris, vt ſi fortis eſt ſermo nihilominus ſit ſuauis.* Magiſtri officiorum olim ſub Imperatoribus Romanis illud munus erat, vt qui Principem alloqui vellent, dicendi & loquendi for-

mam ab eo acciperent, ne quid aut elatè nimiũ & intemperanter, vel ineptè & inſulsè proferrent. Hinc apud Caſſiodorum lib. 6. Variar c. 6. In formula Magiſteriæ dignitatis. Per eũ (magiſtrum officiorum) Senator veniens noſtris præſentatur obtutibus, admonet trepidum, componit loquentem, ſua quinetiam verba ſolet inſerere, vt nos decenter omnia debeamus audire. Extat de ea re eiuſdem Petri Bleſenſis Epiſtola quæ eſt 101. qua reſpondet cuipiam inſectanti Archiepiſcopum, qui Regem peccantem non qua debet ſeueritate corriperet, ſed nimia lenitate, quaſi Regi ſubpalpari videretur. Scripturæ teſtimonio demonſtrat ſeueritatem manſuetudine temperandam eſſe. Nã quid ſibi volebant in Templo Salomonis ſculpti leones, quibus adhibita erant lora non adſtricta ſed laxa, niſi vt intelligeremus neceſſarium eſſe vt diſciplinæ & correctionis ſeueritas, refrenata loro manſuetudinis, non conſtringatur, ſed potius tantiſper ſoluatur. Nec aliud nobis indicat Ezechielis Prophetæ illa viſio, qua in medio Ignis ſpecies electri viſa eſt. Eſt enim electrum genus metalli temperatiſſimum, quo ſignificatur auſteriorem qumatamlibet correctionem, alioquin neceſſariam, ſuauiſſimo blandimento condiẽdam eſſe. Remiſſionem hãc appellabat obtrectator ille Archiepiſcopi, Reſpondet Petrus aliam eſſe remiſſionem cautam & neceſſariam, aliam quæ cum

fœda adulatione coniuncta ſit. At neceſſaria illa eſt quæ defertur Poteſtatibus huius mundi, & maximè Regi tamquam præcellenti, hæc lenitas Regnum & Sacerdotium facit vnũ, hæc ſua benignitate obtinet quod numquam per minas aut violentias à Principibus extorqueret. In hac lenitate nec Deus nec homo offenditur, in qua fides à Prælato tam Deo quàm homini exhibetur. Turpe quidem & abſurdum eſt in Prælato cum ira & auſteritate corripere, ſicut Apoſtolus ad Timotheum ſcribens ait c. 2. Seruum Domini non oportet litigare, ſed ad omnes manſuetum eſſe & patientem, & cum lenitate corripere eos qui reſiſtunt veritati. Altera verò remiſſio planè damnanda eſt. quæ quidem os Prælati obſtruat, quæ mentem eius deiiciat, quæ adulatorem & venditorem olei facit, dum ſibi quietem & honorificentiam venatur in fauore Principum, hæc miſeros præcipitat in fouéam ſcandalorum: Per hanc Prælati miſeri bonum Pœnitentiæ quod in Principibus vident, palpando & vſque ad canos, vberiorem Chriſti miſericordiam promittendo, euacuant. Peccant Principes quà homines, quà Principes, nec tamen vno eodemque modo corripiendi, quemadmodum nec vnius generis delictum eſſe credendum eſt, aut enim clã aut palam eſt admiſſum. Neutrum coram populo & eo teſte commemorari velim. Scriptura id nos docet lib. 2. Regũ c. 12. Dauid Rex alterius

vxorem abduxerat, ſtuprarat, virum interficiendum curauerat; Iſta non ignotata, Nathan à Deo iuſſus, eum conuenit, & inſigni ſuauitate ac veneratione Regem corripit, & ementita ſimilitudine in ſe ipſum ſententiam ferre compellit. Nec aliter à quodam Prophepheta obiurgatus eſt Achab Rex Iſraël, eò quòd Rex Syriæ Benadad, qui in eius poteſtatem, poſt inſignem de eo diuinitùs partam victoriam, veniſſet, & honorificè ab eo dimiſſus eſſet, libro 3. Reg. c. 20. Correctionis gradus varios præſcripſit Chriſtus, Math. 18. at primus ſecretior eſt, & quantumuis vnum aut alterum adhibeas teſtem deinceps, at in ſpiritu lenitatis id præſtari debet. Petro Bleſenſi Epiſtola citata. Qui verius diligit, ſeuerius corrigit, occultè tamen & efficacior eſt in ijs ad emendationem Principum, lenitas columbina quàm ſeueritas exterior & indignatio vultuoſa. At coram populo id præſtare nullo modo ferendum eſt: hac enim contumelioſa dicacitate, & in Principem dicendi libertate, audaciæ pleniſſima populi in Principem & veneratio ac denique obſequium ſi non ſoluitur ac grauiter minuitur, cùm is ſit ad illius contemptum gradus proximus, & quis neſcit plebeiorum hominum faciles, vt ad amorem ita ad odium mentes. Et quidem eò periculoſior iſtorum oratorum confidentia, ſi modo religione aliqua nitatur. Apud Modeſtinum lib. 1. de pœ-

de pœnis extat conſtitutio Marci Imperatoris. *Si quis aliquid fecerit quo leues hominum animi ſuperſtitione Numinis terrerentur, D. Marcus huiuſmodi homines in inſulā relegari reſcripſit*, D. de pœnis. l. 30. Scio Herodis à B. Ioanne Baptiſta reprehēſionē publicā fuiſſe, at nō pauca, non exigua, ſed multa & magna ſcelera Herodes ille admiſerat, de quibus Iſidorus Peluſiota variè diſſerit Epiſt. 96. lib. 4. Quanquam vnius præſertim mentio habeatur, quod illi obiiciebat Prophetarum ſummus, & quidem palam, ſed non vnus erat lapſus, quin potius ſeminatum delictum. Tradunt hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Numerianum Cæſarem à B. Babyla, Theodoſium Magnum à B. Ambroſio palam reprehenſos. Mitto alia innumera exempla. B. Ambroſius Iuſtinam Valentiniani ſecundi matrem, Herodiadem vocat lib. 3. de virginibus, Gaudentius Brixienſis Epiſcopus, eodem tempore Ieſabellem illam dixit Præfatione in Tractatus. B. Chryſoſtomus quæ ſtigmata non inuſſit & famæ & nomini Eudoxiæ vxoris Arcadij Imperatoris. B. Bernard. Epiſtola 49. & 223. Regem Francorum ſui temporis, alterum Herodem nominat. Quam acerbè Regem Angliæ exagitat Hildebertus Cœnomanenſis Epiſcopus Epiſtola 19. Quin ipſe Petrus Bleſenſis Epiſtola 27. loquens de B. Thoma Cantuarienſi Archiepiſcopo, Deum Pharaonis id eſt Regis Angliæ vocat. Sed quiſquis es cui iſta Princi-

pum publica correptio cordi eſt, da Babylas, da Ambroſios, Chryſoſtomos, Bernardos & ſimiles, merito lubens in tuam pedibus ibo ſententiam. Plurimum certe valet apud omnes & potiſſimum apud Principem, de alicuius virtute, integritate, & ſanctimonia, concepta exiſtimatio, quæ res, Principem aberrantem ad rectum iter reducendi, maximum habet adiumentum. Iis præditus ornamentis & præſidiis Epiſcopus, ſeu quis alius & dignitate, & rerum vſu atque ſincera in Principem fide illuſtris, qua decet veneratione & comitate, Principem admonens, ad bonam frugem illum reuocabit, nec ſemel id tentaſſe ſufficiet; Vt enim in grauioribus morbis fieri ſolet, quando humor noxius, peruicax & pertinax eſt, nec leuioribus remediis cedit illico, præparandus ille eſt & ſenſim educendus, ne ſi acrioribus & vehementioribus remediis vrgeatur, Cadmea victoria expugnetur. Sunt certe eius generis in Principum animis morbi, auctore Ammiano Marcellino lib. 14. *Apud Principes vt in capite mundi, morborum accerbitates celſius dominantur.* Venuſtè Ioannes ille Carnotenſis Epiſcopus, & quidem ornatis verbis, iſtam præſcribit corripiendi formam ac regulam, Policratici lib. 3. c. 5. Eſt quidem omnium captanda beneuolentia quæ fons amicitiæ & primus charitatis progreſſus eſt, ſed honeſtate incolumi, officiorum ſtudiis, virtutis via, obſequiorum fructu,

integritate ſermonis. Adſit & fides dictorum ſcilicet factorumque conſtantia & veritas, quæ officiorum & bonorum omnium eſt fundamentum. Quæ ſi apud cæteros homines valent, quantò rectius apud Principes obſeruanda ſunt, huiuſce rei memorādum extat exemplum B. Bonifacij Maguntinenſis Archiepiſcopi, de quo crebra mentio in hiſtoria noſtra Gallica, ſub Carolo Martello & filiis. Is Epiſtola 19. dum Ethebaldum Regem Merciorum in Anglia, vult arguere, orditur ſermonem hoc pacto. *Confitemur coram Deo & ſanctis Angelis quia quamcumque proſperitatem veſtram video & opera bona, coram Deo & hominibus per nuncios fideles audiuimus, quod inter gaudentes & pro vobis orantes læti gratias agimus Deo, poſtulantes & obſecrantes Saluatorem mundi vt vos ſoſpites, & in fide ſtabiles, & in operibus coram Deo rectos, in principatu Chriſtiani Populi longo tempore cuſtodiat.* Sed poſtea ſenſim illum carpit quòd Sanctimoniales & virgines Deo dicatas, inceſta & ſacrilega commixtione, contaminaret; à quo nefando ſcelere, S. Scripturæ teſtimoniis, tum ratione, denique exemplo infœlicis interitus duorum Regum iſtius inſulæ, ob ſimile peccatum, illum nititur auocare. Quin vt Regem eundem ſuis cohortationibus obſequentiorem haberet, B. Bonifacius, muneribus placare contendit, Epiſtola 12. dono mittit accipitrem vnum, duos falcones, duo ſcuta, & duas lanceas. Prin-

cipi ſi eiuſcemodi adhibeatur moderatio, ſuorum vitiorum reprehenſio ingrata nec eſſe debet nec poteſt, ſiquidem teſte Ammiano Marcellino lib.15. *Ea etenim laus grata eſſe Poteſtati debet excelſæ, cùm interdum & vituperationi ſecus geſtorum pateat locus.* At id nō modò in vitiis Principum arguendis locum habet, ſed in cæteris quibuſcūque rebus, vt ſi contra fas & æquum quidpiam agere cogitet, recta monentem audiat, ſinatque ſe ab illa opinione abduci, neque indecorum putet ſi mutauerit ſententiam, modo ea mutatio fidem mereatur iuſtitiæ, aut publicæ vtilitatis, vt aiebat M. Antoninus Imperator lib.4. de vita ſua. Neque verò illud ſatis eſſe puto, ſi Princeps lubens audiat increpantem, hoc certè primarium & præcipuum eſt ſi culpam & agnoſcat & emendet. Verumenimuero id optandum magis quàm ſperandum cenſent nonnulli Iſidorum Hiſpalenſem Epiſcopum ſecuti, lib.3. ſententiarum, c.50. Difficile eſt Principem regredi ad melius ſi vitiis fuerit implicatus: Populi enim peccantes Iudicem metuunt, & à malo ſuo legibus coërcentur; Reges autem niſi ſolo Dei timore, metuque gehennæ coërceantur, liberè in præceps proruunt, & per abruptum licentiæ in omne facinus vitiorum labuntur. Ab ea Iſidori ſententia me ratio ipſa lōgè auocat, quam me docuit vir pietate & eruditione clariſſimus, Iſidorus Peluſiota, Epiſtola 79. libro 2.

Hippocrates Medicorum Princeps morbis qui ſanationem omnem reſpuunt, vlla medicamenta adhiberi vetat, at perſæpe contigit vt Medici, adhibitâ operâ iis qui morbo incurabili affecti erant, illos ipſos fœliciter curarint: Multo magis cùm de animorum morbis agetur. Illud enim apud omnes in confeſſo eſt, corpora naturæ vinculis neceſſitate quadam conſtringi, ſuaſque fixas & ratas habere propenſiones & affectiones, animorum verò diſpar eſt omnino & diſſimilis ratio, cùm liberam habeant rerum propoſitarum electionem, & ipſa voluntas nullius niſi ſolius Dei Imperio ſubiaceat, atque in hominis poteſtate ſitum ſit omne id quod antea complexus fuerit penitus repudiare, quod vel ad vltimum vſque vitæ ſpiritum perdurat. Neque idcirco ſpes omnis abiicienda eſt, etiam ſi Princeps correptus non reſipiſcat, nec cohortationes ſatis fœliciter ſuccedant. Nam vbi humana remedia fruſtra adhibita fuerint, ſanatio à Deo expectãda eſt, vt admonet Iſidorus idem Peluſiota, Epiſtola 39. Et eius rei gratia preces ipſi Deo allegandas eſſe ſuadet Theodoretus, oratione 7. de Prouidentia. Et præclara iſta eſt B. Bernardi ſententia, Epiſtola 170. ad Ludouicum iuniorem Regem Franciæ. *Si totus orbis aduerſum me coniuraret, vt quidpiam molirer aduerſus Regiam Maieſtatem, ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere temerè non auderem.*

Aliquantò poſt, vbi multa commemorauit ab eo Rege contra ius & æquum geſta, non de illo interficiendo, vel regno exturbãdo agit, *Sed, meliora*, inquit, *ſperamus, expectamus iucundiora.* Et poſtea. *Hoc optamus, hoc oramus die ac nocte.* Et Regem alloquens. *Hoc ſentite de nobis, hoc ſentite de noſtris. Non infringetur veritas hæc in nobis, non imminuetur honor Regis Regnique vtilitas per nos.*

CAPVT NONVM.

Quis amor, quis cultus in Principem.

VENERATIO ſiue honos alicui tributus, nõniſi à virtute & eo quod laude & commẽdatione dignum ſit proficiſci ſolet. Fictum & ementitum honorem atque adeo coactum & vi expreſſum nil moror. Plinio in Panegyrico. *Aliud ſecuritatis, aliud ſollicitudinis ingenium eſt, & ingenioſior eſt ad excogitandum ſimulatio veritate, ſeruitus libertate, metus amore. Multa excogitat metus, ſed quæ appareant quæſita ab inuitis.* Regibus per ſe debita veneratio, ſiue quod Regia ipſa dignitas, auguſtiſſima ſit, & veluti Diuinæ gloriæ decerptus quidam radius, ſeu quia illa neceſſaria; hinc amor in Principem. Priorem partem explicemus. Regem Dei imaginem continere ac

præ ſe ferre, quis neſcit, ea de cauſa apud Sextum Empiricum Pythagoreum, Regnum dicitur Dei imitationem in ſe complecti. Ioannes ille Carnotẽſis Epiſcopus, Policratici lib.4.c.1. eleganter & verè. *Princeps eſt poteſtas publica & in terris quædam Diuinæ Maieſtatis imago. Proculdubio magnũ quid Diuinæ virtutis declaratur ineſſe Principib⁹, dũ homines, nutibus eorũ, colla ſubmittũt, & ſecuri plerumque feriendas præbent ceruices, & impulſu diuino quiſque timet quibus ipſe timori eſt.* Dei vices in terris gerere Reges dicuntur. Plinius in Panegyrico. *Principem dat Deus qui erga omne humanum genus vice ſua fungatur.* Eleutherius P.R. Epiſtola ad Lucium Britannum Regem, Vicarium Dei nominat: habetur inter leges B. Eduardi. Quin & Dij appellantur in S.Scriptura, Pſalm. 81. ac dictio ipſa Elohim præter Deum, & Angelos & Reges ac denique iudices ſignificat. Reges, qui Angelorum, qui iudicum munus obeunt, etiam totum hoc nomen ſibi merito vendicare poſſunt. Et vt illud obiter demonſtrem, Regum lib. 2. c.14. *Sicut Angelus Domini, ſic eſt Dominus meus Rex*, ait ad Dauid, Thecuitis illa ſapientiſſima mulier. Et paulo poſt. *Tu Domine mi Rex ſapiens es, & ſicut habet ſapientiam Angelus Dei.* Perplacet admodum B. Thomæ Theologorum facilè Principis interpretatio, cùm exponit Imperatores olim Diuos appellatos fuiſſe, id eſt Diuinæ Prouidẽtiæ miniſtros, B. Thom. 2.2.q.99.art.1.

& ex eo deſcripſit B. Antoninus, 2. part. tit. 1. c.21. Regio in vultu neſcio quid cœleſtis fulgoris relucere verè dixit Themiſtius, oratione ſecunda ad Conſtantium Imperatorem. Nec igitur abs re dictum illud Varij Gemini, apud Cæſarem, refert Seneca pater, controuerſiâ 8. *Cæſar qui apud te audent dicere magnitudinem tuam ignorant, qui non audent humanitatem.* Boni Principis iſtud poſterius argumentum eſt. Iam non nudas appellationes iſtas, nō externa illa quærenda eſſe tantummodo arbitror; Maiora inueſtigare animus eſt. Regiæ dignitati ſanctitatem quandam ineſſe, demonſtremus, non qualem Regio nomini ineſſe etiam barbaræ gentes olim crediderunt, vt eſt apud Saluſtium, in fragmentis libri quarti hiſtoriarum, aut quemadmodum ſanctiſſimus Alexander dictus eſt, Apuleio lib. 1. floridorum; ſed Chriſtiano ritu id illis contingere, videamus. Scio nonnullos ex Sacerdotalis conſecrationis ſimilitudine illud ipſum deriuare, quandoquidem Reges etiam pro Sacerdotibus habeantur. B. Iræneus Lugdunenſis Epiſcopus, apud Antonium Monachum in Meliſſis, lib. 2. Rex omnis iuſtus Sacerdotalem obtinet dignitatem. Apud B. Iræneum, lib. 4. c. 20. locus ille paulò aliter conceptus eſt. Sacerdos fuerat Dauid apud eum: omnes enim Iuſti Sacerdotalem habent ordinem. Equidem lib. 2. Regum c. 8. ſcribitur; *filij autem Dauid Sacerdotes.* Paraphraſtes Chal-

dæus, habet, *filij David Magnates.* Ac lib. 1. Paralipomenon c. 18: Vbi locus ille repetitur, vulgata editio legit. *Et filij Dauid primi ad manum Regis erant.* Verumtamen B. Ambroſius Epiſtola 30. ad Valentinianum Imperatorem, Gratiani fratrem, ſic eum alloquitur. *Conuenio fidem tuam Chriſti Sacerdos.* Quid Græci ſuo Imperatori hac in re adtribuerint, nos in Commentario de Epiſcoporum ſacra auctoritate expoſuimus. Sed reapſe Reges Chriſtianos Catholicos, vnctione ſacra delibutos, palam eſt. Mirum verò quod ſcripſit Balſamo in Canonem 12. Concilij Ancyrani, Regiam vnctionem in conſecratione non minoris eſſe efficaciæ ad delenda peccata prius admiſſa, probátque exēplo Ioannis Zimiſcæ Imperatoris Conſtantinopolitani, qui propter à ſe interfectum Phocam Imperatorem, à Patriarcha non fuerit admiſſus in Eccleſiam ante coronationem, quâ peractâ, poſtmodum admiſſus eſt, veluti accepta veniâ parricidij ab eo patrati. Hæc noſtri Theologi probare non poſſunt, nec enim lethalia peccata niſi Sacramentorum vi & energia purgari queunt, ipſa verò vnctio Regia Sacramentale quiddam tantummodo cenſeri debet. Neque quod ad Regij faſtigij ſanctitatem plurimum facit omittendum exiſtimo, videlicet aliquem publicè excommunicatum, ſi Regis menſa & conuiuio honeſtatus fuerit, non amplius vitandum ſed impunè cæteros,

citra noxam cum illo verſari poſſe. Concilij Toletani 12. c. 3. *Quos Regia poteſtas aut in gratiam benignitatis exceperit, aut participes menſæ ſuæ effecerit, hos etiam Sacerdotum & populorum conuentus ſuſcipere in Eccleſiaſticam communionem debebit, vt quod iam Principalis pietas habet acceptum, neque à Sacerdotibus Dei habeatur extraneum.* Sic B. Anſelmus, Epiſtola ad Ernulphum Priorem; *Audiſtis quibus ex præcepto Apoſtolico communicare non poſſum ſine animæ meæ periculo, quorum communionem, Regi communicans, dum ipſe eis communicat, vitare non valeo.* Lego apud Gregorium Turonenſem lib. 7. c. 16. Prætextatum Epiſcopum Rothomagenſem, in exilium pulſum, ei indicta pœnitentia ab Epiſcopis Gallicanis, à Rege Gumtranno ſuſceptum & conuiuio exceptum, ad ſuos Rothomagenſes ſine vlla alia venia rediiſſe. Sed illud notatione dignum, Regem ipſum excommunicandi vim & facultatem habere, id teſtatur Ricardus Angliæ Rex, in illo cõtractu inito cum Valtero Rothomagenſi Archiepiſcopo, ad cuius calcem ita Rex loquitur. *Nos autem, quantum Rex poteſt, excommunicamus & concedimus quod incurrat indignationem omnipotentis Dei, quicunque contra hoc factum venerit.* Contractus huius exemplar refert Innocentius Tertius P.R. in Epiſtolis, & eam non dãnat formulam. Epiſtola hæc ſcripta ad Valterum Rothomagenſem Archiepiſcopum. Quandoquidem iſta generatim eſt inſtituta

diſputatio, idcirco quod vni Gallorum Chriſtianiſſimo Regi præ cæteris totius orbis Regibus conceſſum eſt, non commemorabo, & iſta ſunt à permultis explicata. Ex iis itaque quæ à nobis de Auguſta Regum dignitate dicta ſunt, facillimè apparet, quantum venerationis illa mereatur; meminerintque ſubditi cum qua par eſt veneratione, Regem ſuum colunt, Deum Optimum Maximum, illud ipſum veluti ſibi adtributum exiſtimare. B. Chryſoſtomus oratione de Principatu & Imperio. Qui Principib⁹ & Magiſtratibus obtemperat, non illis imperantibus ſe ſubmittit, ſed Deo, qui hoc ita conſtituit, alioquin qui illis obſequi detractat, Deo bellum infert. Vulgaris & trita eſt illa Tertulliani de ea re ſententia libro ad Scapulam. *Colimus Imperatorem ſic quomodo & nobis licet & ipſi expedit, hominem à Deo ſecundum & quicquid eſt à Deo conſecutum, ſolo Deo minorem.* Non aliter Theophilus Alexandrinus lib. 1. ad Autolycum, Honorabo Regem ſiue Cæſarem, non tamen eum adorabo, verùm pro eo orabo, Deum, qui verè Deus eſt adorabo, ſciens Cæſarem ab ipſo eſſe ordinatum. Rex enim ſiue Cæſar Deus non eſt, ſed meminerit ſe eſſe hominem à Deo in hanc dignitatem promotum, non vt adoretur, ſed vt iuſtè pro ratione iuſtitiæ iudicet. Ea certe Chriſtianis veriſſima regula propoſita eſt. Quid aliud ſibi vult B. Petrus prioris Epiſtolæ c. 2. Deum timete, Re-

gem honorificate, quàm quod poſt noſtram in Deum pietatē, meumque iuſtiſſimi malefactorum vindicis & Iudicis, honor qui huic proximè ſuccedat, non alteri quàm Regi ſit exhibendus. Locum hunc expreſſit & paulò fuſius explicauit B. Ignatius Epiſtola 10. quæ eſt ad Smyrnenſes, vbi ſcribit Deum honorandum vt omnium auctorem & Dominum; Epiſcopum verò vt Principem Sacerdotum, imaginem Dei referentem, Dei quidem propter principatum, Chriſti verò propter Sacerdotium; honorandum etiam Regem, quandoquidem Rege nullus ſit præſtantior, aut quiſquam ſimilis ei in rebus omibus creatis; Nec inter Magnates quiſquam ſimilis exiſtat Regi qui in pace & optimis legibus ſubditos contineat. Regem Dei ſingulare quoddam inter cætera omnia, opificium eſſe illud vel maximè declarat, quod illi ſpeciatim angelum ipſe adſignet, veluti adiuuam, ad tot tamque varios populos moderandos, auctore Clemente Alexandrino lib. 7. Stromatum, ita vt præter eum, qui nobis omnibus ab ipſo ortu à Deo cuſtos datus eſt, quà Rex eſt, alium, ſingulari priuilegio obtineat, vt taceam cuique genti deputatum Angelum, Scripturâ teſte, à Rege & Principe gentis illius nunquam abeſſe. Is primus eſt erga Regem ac Principem venerationis gradus, nec minoris faciendus eſt is qui ſequitur, quem veluti liberorum erga

parentes eſſe dicimus. Non enim Rex aut Princeps à ſuis diligi aliter debet quàm pater à liberis,ac proinde nec minus coli. Quin, ſi Senecæ credimus,etiam multò magis,quãdoquidem vt ille ait lib.1. de Clementia c.4. *Principes & Reges non eſt mirum amari vltra priuatas etiam neceßitudines.* B. Ambroſius in relatione aduerſus Symmachum Præfectum vrbi, commendat Senatum Romanum quod liberis ſuis præferret Imperatores. Nec alia mens eſſe poteſt B. Auguſtini Epiſtola 201. *Solam eſſe charitatem patriæ quæ parentum iure vincat affectum*,quandoquidem patriæ ſalus cum ſalute Principis arctiſſimè coniuncta ſit. Quid liberi parentibus debeant non eſt huius loci diſquirere & vulgus nouit, ſcitè Vlpianus, *filio ſemper honeſta & ſancta perſona patris videri debet*, D. de obſeq. par. & patron. præſt. Quis igitur cultus, quis amor, etiàm qui minima quaque re violari cenſetur. Vultu pietatem erga parentes lædi veteres cenſuere. Poſt Suadæ medullam Latij, B. Ambroſius libro 8. Commentarior. in Lucam c.18. *Ne vultu quidem lædenda pietas eſt parentum.* Hinc illud viri ſanctitate præcipui Paulini Epiſtola 40. ad terſum Poetam Auſonium, qnem tanquam parentem alterum colebat, *Ipſo te lædere vultu, Semper & incauta timui violare figura.* Et Iunius Otho apud Senecam Patrem lib.7. Controuerſia 3. *Reus eſt parricidij qui mauult mori quàm patrem videre.* Natura ipſa vnicuique

noſtrum ſe vitamque ſuam tuendi perpetuum ingenerauit ſtudium, & Apoſtolo teſte ad Epheſ. cap. 5. Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit, quod naturæ conſentaneum eſſe tacitè ſignificat, quidni potius de anima, de vita, de communi illo, quo viuimus, ſpiritu ſolliciti erimus. At, qui Rex, qui Princeps, niſi totius Regni ſui anima, & publicus ille omnium ſubditorum ſpiritus, quem ducũt, quem aſpirant: Aſinius Gallus, apud Tacitum, Annali primo, de Tiberio loquens, *Vnum Reipublicæ corpus Vnius anima regendum*, dixit Seneca, lib. 1. de Clementia c. 5. *Princeps animus eſt Reipublicæ, illa corpus eſt.* Apertius multò c. 3. *Hæc immenſa multitudo Vnius anima circundata, illius ſpiritu regitur, illius ratione flectitur, preſſura ſe ac fractura viribus ſuis niſi conſilio ſuſtineretur.* Et c. 4. *Princeps vinculum eſt, per quod Reſpublica cohæret, ille ſpiritus vitalis, quem tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa Imperij ſubtrahatur.* Sic Lucanus lib. 5.

Cum tot in hac anima populorum vita, ſaluſque
Pendeat, & tantus caput hoc ſibi fecerit orbis.

Apud Curtium libro 9. Toto eo die & nocte quæ ſecuta eſt, armatus exercitus Regiã obſedit, *confeſſus omnes Vnius (Alexandri) ſpiritu viuere.* Non alia ratione Imperator, *Salus Reipublicæ nominatur & ſpes totius generis humani, ex cuius vita omniũ fata pendent, in cuius conſeruatione ſalus omniũ poſita ſit.* Panegyrico incerti auctoris ad Con-

ſtantinum Magnum. Inſigniter Plinius Panegyrico, quem locum plane æmulatus videtur B. Ambroſius eo quē initio Cōmētarij adduximus, *Vt plena altaribus augusta victimis cuncta: vt in vnius ſalutem collata omnium vota; cùm ſibi ſe ac liberos ſuos intelligerent precari, quæ pro te precarentur.* Sic, Ennodio Ticinenſi, Panegyrico ad Theodericum Regem, *Rex ipſe ſalus ſtatus Reipublicæ* nominatur. Hæc citra aſſentationem dicta eſſe certum eſt, nec niſi planè aut furioſus aut ſecors, aliter dixerit, quandoquidem veriſſimū illud ſit, *in Principe & Rempublicam & Ciues comprehendi*, vt eſt apud Plinium in Panegyrico. Iſta & vera & iucunda acclamatio Præfectorum, Tribunorum & virorum eminentiſſimorum facta Conſtantino Magno, *Veſtra ſalus, noſtra ſalus*, Cod. Theodoſiani lib. 7. Titul. 20. Quis mortalium lucem hanc non ſibi iucundiſſimam eſſe putat, at Rex Regni ſui lux eſt, quæ vniuerſas Regni prouincias colluſtrat, 2. Regum c. 21. Dauid cùm à Philiſtæo pene occiſus fuiſſet, dixerunt ei qui adſtabant, Iam non egredieris nobiſcum in bellum, *ne extinguas lucernam Iſraël.* Eo ſenſu apud Curtiū lib. 9. Craterus Alexandro intimus, illum *Macedonū Columen ac ſydus appellat.* Seneca, de Conſolat. ad Polybium, c.32. loquens de Cæſare; qui tum erat: *Sydus hoc, quod præcipitato in profundum ac demerſo in tenebras orbi, refulſit, ſemper luceat.* Quis igitur ardentior affectus & amor in eū excogitari

poteſt,quam qui,non tantùm propter fortunas ſeruatas, ſed propter vitã ipſam,quam ab eodẽ haurimus,exhiberi debet. Sed vt pręclarè Mamertin⁹ Panegyrico ad Iulianũ A. *anxia eſt fidelium diligentia,maximo amori maximus timor iunctus eſt.* Et certè dum ipſi Principi ſubditi timent ſibi timent. Tam anxium tamque ſollicitum erga Principem ſubditorum amorem, par cultus & veneratio conſequitur. Et quoniam amor nonniſi voluntarius exiſtere poteſt, idemque liberrimus. *Non enim vt alia ſubiectis ita amor imperatur*, aiebat Plinius in Panegyrico, & hoc mutuatus à Seneca, lib. de breuitate vitæ,c.19. *Amare & odiſſe res omniũ liberrimæ;* Vnde Quintilianus Declamatione 276. *Non potes efficere imperio vt vel amem quem velis vel oderim.* Quiſpiam de iſto erga Principem amore idcirco non parum dubitare poſſit, quandoquidem in eum ferantur ſubditi non ſecus ac vi quadam & neceſſitate impulſi, hoc ſi ſe ſaluos velint, ſi vitã, ſi liberos, ſi ipſam denique Rempublicam. At quæ neceſſitatem afferunt nec diuturna ſunt, nec ex animo profecta. Sed res aliter ſe habet, quæ enim naturæ inſtinctu & impulſu fiunt, quanquam neceſſariò fiant, attamen ab omni coactione aliena ſunt, nec ab alicuius alterius arbitrio pendent, ſiue enim vigilandum, ſiue dormiendum, ſiue cibus capiendus, vel ſimile quidpiam agendum eſt, pro cuiuſque noſtrum cura & ſalute id præſtandum eſt,quam qui negligit

gligit vel ipſis belluis aut ſtolidior, aut crudelior habendus. His ſiquidem ſtudium iſtud etiam à natura inditum eſt. Ita ſubditi, quamquam Principem ament, & vitam propriam & ſpiritum illum communem, ſine quo viuere nequeunt, amare dicantur, non tamen ab vllo vis illa infertur, ſed ſolam Naturam ducem ac Magiſtram ſequuntur. Quanquam, vt ſupra diſſeruimus, aliæ ſunt huius erga Principem amoris motiones & impulſus. Fœliciſſimi ſtatus iſtud fundamentum eſt, nec aliunde Clementia Principis, quæ tam clara in eo exiſtit quam vlla alia virtus, proficiſci ſolet, quam ab ipſo ſubditorum amore. At quanti amorem ſubditorum facere Princeps debeat, diſcat ex Symmacho Præfecto vrbi, lib.1. Epiſtola 28. ad Auſonium Gallum Aquinatem. *Mollis eſt animus diligentis, & ad omnem ſenſum doloris argutus. Si negligentius tractes, cito marcet vt roſa, ſi durius teneas, liuet, vt lilia.* Optime Plinius in Panegyrico. *Nõ eſt vllus affectus tam erectus & liber & dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat quã Amor. Poteſt fortaſſe Princeps iniquè, poteſt tamẽ odio eſſe nonnullis, etiamſi ipſe non oderit, amari niſi amet non poteſt.* Hoc illi perdiſcendum eſt amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine vllius veneficæ carmine. Si vis amari ama, quemadmodum ex Hecatone Philoſopho refert Seneca Epiſtola 9.

CAPVT DECIMVM.

Populus obſequens.

QVAERVNT nonnulli quamobrem, velut ex condicto, Sanctiſſimorum Apoſtolorum præcipui B. Petrus & B. Paulus, Chriſtianis tam ſedulò, tam diligenter, præcipiant, Regibus & Magiſtratibus parere: hic Romanorum 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, Et ad Titũ, c. 3. *Admone illos Principib⁹ & poteſtatibus ſubditos eſſe*. Ille apertiſſimè, Epiſtolæ prioris, c. 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tanquã ab eo miſsis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Quia ſic eſt voluntas Dei, vt benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Quæ poſtrema verba nobis rerum Syriæ ſtatum, qui tum erat, ob oculos ponunt. Siquidem eo tempore Iudas quidam Galilæus in Palæſtina ab Imperio Romano defectionem molitus erat, eo quidem prætextu, quod ſoli Deo non hominibus ſeruiendum eſſet, & quæuis potius tormenta ſubeunda quàm vllus ſit appellandus Dominus. De qua re Ioſephus lib. 18. Antiq. c. 1. & 2. Diuini ergo Apoſtoli, Iudæos potiſſimum, ac deinde cæteros ab iſta nefaria & ſeditioſa ſententia quàm longiſſimè abducere

conantur; Et ne quis fidelium, quos liberos & filios non modò Chriſtus, ſed & ipſi Apoſtoli appellabant, idcirco ſibi perſuaderet, Chriſtianæ religionis id eſſe proprium, quodcumque iugum alienæ ſeruitutis excutere. Libertas illa Chriſtiana, ſpiritalis eſt, *nam qui facit peccatum ſeruus eſt peccati*, Ioan. c. 8. ſimul & dæmonis illicientis, impellentis, permouentis mancipium. Illud indicat B. Petrus, loco citato, ſubiungens. *Quaſi liberi & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui Dei:* Permulti veterum & recentiorũ in iis locis explicandis deſudarunt, nec pro inſtituti ratione in illis magis immorandum eſſe exiſtimamus. Hæc enim in notis, quas meditamur in Epiſtolas Apoſtolicas fuſius explicari poterunt. Attamẽ locum elegãtẽ de ea re Marci Eremitæ pretermittere nõ poſſum. Is libro de Baptiſmo, ſcribit in Epiſtolis Apoſtolicis, nouitatem, lucem & libertatem pro eodem vſurpari, nimirum pro ſtatu & lege gratiæ, cuius opera peccatum omne & peccati ſeruitus reſcindatur. Sed ne quis fallatur, illud vel maximè obſeruandum, multa in Apoſtolicis ſcriptis contineri, quæ non ſolùm ad præſentem illius æui, quo viuerent, ſtatum ſpectabant, ſed etiam futuris atque adeo poſtremis huius ſæculi, quo mundus duraturus eſt, temporibus, ſuum eſſent ſortitura effectum. Diuinæ prouidentiæ certiſſimum argumentum illud eſt. Nam noſtro æuo, qui ab Eccleſia Ro-

mana, cæterorum omnium parente optima, ſuperiorum ætatum quotquot ab Apoſtolis effluxerunt conſenſu, ſeceſſionem ſingulari impietate fecerunt, vel ſtylum in Reges, in Principes, in Magiſtratus ſtrinxerunt, vel auſu nefario, illos apertis armis oppugnarunt. Huic furori Deus eiuſmodi doctrina Apoſtolica prouidit, & vereor ne dum pietatem religionẽq. tamquam velum obtendunt, reducto velo, flagitioſiſſimam & effrenem maximè, ſine lege, ſine Rege, viuendi quæſitam licentiam deprehendamus, aut vt verius loquar, ſtatus Monarchici capitales hoſtes, quod experiẽtia docuit, & in arcanis habetur, intelligamus. Ac ne aliqui me præuaricatorem exiſtiment, quandoquidem Apoſtolus Petrus vult nos Regi & Magiſtratui obtemperare nonniſi adhibita cautione, *Propter Deum*; fateor illud additum, ſed eius interpretationem paucis aperiam, nam ab aliis longior iſta diſputatio petenda eſt. B. Paulus Epiſtolæ ad Titum c.3. exponit, Principibus fideles Chriſtianos ſubditos eſſe debere, dicto obedire, *ad omne opus bonum*. Eodem pacto Conſtitutionum Apoſtolicar. lib. 4. c. 13. Eſtote ſubiecti omni Regi & Poteſtati in iis quæ Deo placent, tanquam miniſtris Dei & impiorum vltoribus, exhibendo eis omnem timorem debitum, omne vectigal, omne tributũ, omnem honorem, munus, cenſum, hæc enim eſt Dei lex. Tertullianus in Scorpiaco. *Solus autẽ*

Dei homo, *condixerat* (ſcilicet Petrus) *Regem quidem honorandum*, *Vt tamen tunc Rex honoretur cum ſuis rebus inſiſtit, cùm à Diuinis honoribus longè eſt, pater & mater diliguntur, cum Deo non comparabuntur.* Tertullianus idem, lib. de Idololatria. *Quod attinet ad honores Regum & Imperatorum ſatis præſcriptum habemus, in omni obſequio eſſe nos oportere, ſecundum Apoſtoli præceptum, ſubditos Magiſtratibus & Principibus & Poteſtatibus; ſed intra limites diſciplinæ, quouſque ab Idololatria ſeparamur.* Non alia mente B. Ignatius, Epiſtola ad Antiochenos, Cæſari ſubiecti eſtote in iis in quibus ſubiici nullum animæ periculum eſt. Epiſcopi Gallicani, Concilij Pariſienſis, ſub Ludouico Pio, lib. 2. c. 8. *Sicut ſubiecti, à Rege ſibi volunt piè & iuſtè opitulari, ita ſpecialiter ei primùm ad ſalutem animæ ſuæ procurandam, deinde generaliter ad honeſtatẽ & vtilitatem Regni, ſecundum Dei voluntatem diſponendum atque miniſtrandum indiſſimulanter atque irretractabiliter ſolatium opportunum debent exhibere.* Sed ſi aberrauerit Princeps, Deum Iudicem habet. Optatus lib. 3. *Cùm ſuper Imperatorem non ſit niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem.* Synodo Regiaticina, ſub Lothario Imperatore & Ludouico R. c. 16. *Principes minimè nunc iudicantur, ſed in futuro Iudicio, à Deo. M.* Antoninus Philoſophus, Imperator, omnium vt ſapientiſſimus ita moderatiſſimus, Principis ſolum Deum Iudicem eſſe poſſe pronunciat apud Xiphilinum in Antonino. Et cuius culpa eſt, ſi quid Princeps in

publicam vtilitatem & ſuorum ſalutem, imo ſi quid in pietatem peccet, Populi certe: Dei proloquium eſt, Dabo vobis Regē in furore meo, Oſeæ c.13. Rem hanc duplici exemplo illuſtrat Anaſtaſius Nicænus libro quæſt. in. S. Script. q.15. tum Phocæ Imperatoris ſæuiſſimi, tum Epiſcopi cuiuſdam, flagitioſiſſimi hypocritæ, quos propter populi mores deprauatos adeo & peſtilētes ſe ſe elegiſſe Deus ſanctis quibuſdam viris ſignificauit. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 3. ſententiarum, c.48. *Reges quando boni ſunt muneris eſt Dei, quando verò mali, ſceleris eſt populi. Secundum enim meritum plebium diſponitur vita Rectorum, teſtante Iob. c.34. Qui regnare facit hypocritā propter peccata populi. Iraſcente enim Deo talem rectorem populi ſuſcipiunt, qualem pro peccato merentur. Nonnumquam pro malitia plebium etiam Reges mutantur, & qui ante videbantur eſſe boni, accepto regno fiunt iniqui.* Paulo antea, explicat illud Apoſtoli, Non eſt poteſtas niſi à Deo. Et tamen Propheta Oſeas c.13. ſentire aliter videtur, dum de quibuſdam Poteſtatibus dixit, Ipſi regnauerūt ſed non ex me, quaſi diceret, *Non me propitio, ſed etiam ſummè irato. Quo manifeſtius elucet bonam malámque Poteſtatem à Deo ordinari, ſed bonam propitio, malam irato.* De vxore illud idem olim vſurpatum, Nam vt ſcribitur Prouerb.19. à *Domino vxor ſapiens datur*, Menander verò, à Deo irato vxorē malā tradi cenſet. Ioannes Carnotenſis Epiſcopus, Policratici lib.4.c.1. ornatè vt ſolet.

Non enim potentis eſt cùm vult ſæuire in ſubditos, ſed Diuinæ diſpenſationis, pro beneplacito ſuo punire vel exercere ſubiectos. Quinetiam ſi Princeps paulo aſperius & inclementius ſuos tractet, ſcriptores prophani in ſubditos crimen refundunt. Curtius lib. 8. Alexandrum ſic loquentem inducit, *Regum Ducumque clementia non in ipſorum modo, ſed etiam, in illorum qui parent ingeniis, ſita eſt. Obſequio mitigantur Imperia, vbi verò reuerentia exceſſit animis, & ſumma imis confundimus, vi opus eſt vt vim repellamus.* Hinc fit vt Principum non pauci ob improbitatem Ciuium, acerbius quàm vellent, imperare coacti fuerint. Filius in popinis, in ganeis, in luſtris totos dies agit, in illum pater animaduertit, hoc commeruit filij nequitia. Pupillus malo contubernio deterior in dies fit, pupillum tutor idcirco parcè contentéque habebit. Licetne idcirco filio, vim patri, pupillo vim tutori inferre, mera hæc inſania eſt, ac quibuſuis artibus expugnanda. Et ſi qui auſus fuerit parenti, tutori, manus afferre iam non vno ſcelere, quin potius innumeris ſe ſe antea obſtrinxiſſe facilè credo, Illa omnium eius generis ſententia veriſſima eſt, Triarij apud Senecã patrem, Controuerſia 5. lib. 7. *Poteſt tyrocinium eſſe homicidium, parricidium non poteſt.* Sed nonnũquam, vt eſt imperitum vulgus, ita ſi quid prauè, & contra fas & æquum à Regiis miniſtris admiſſum fuit, in Principem, harum rerum ſæpius ignarum, culpam confert. Vbi quidpiam

de Regia liberalitate decerptum, Regi vitio vertit. Dione & Xiphilino auctoribus, ſolebat Tiberius ſi quid aut pecuniæ aut aliarum rerum donaſſet, coram numerari aut repræſentari præcipere. At Reges multa perſæpe opertis oculis donant, aiebat ille; fiſco præfectum profuſionibus modum adhibere æquum eſt. Sed quis ærario Regio iuſtè adminiſtrando præficiendus ſit, indicat Mamertinus, Panegyco ad Iulianum Auguſtũ, qui ſit *vir animi magni aduerſus pecuniam, liberi, aduerſus offenſas, conſtantis aduerſus inuidiam.* Apud Dionem lib. 56. hiſtoriæ Roman. verè Tiberius, oratione habita in funere Auguſti. Boni Principis virtus non ex aliorum flagitiis, ſed ex ipſorum factis iudicari debet. Et nonnulla Princeps cogitur nonnumquam agere inuitus. Denique Ariſtidis, in Panathenaicis, illa ſententia populis inculcanda, Imperiorum iura eſſe eiuſmodi, vt ea non ex damno priuatorum quorumdam & inferiorũ, ſed ex publica vtilitate, Imperiique vi ac neceſſitate metiamur. Quemadmodum ſummũ huius mundi gubernatorem ex maximis illius beneficiis erga nos, non ex fulminibus, terræ motibus, hiatibus atque tempeſtatibus conſideramus, victoriamque ex libertate & ſecuritate non ex cruore & exactionibus & proſcriptionibus, quibus ad eam peruenitur, metiri ſolemus. Sic apud Tacitum, Cærealis, lib. 4. hiſtoriar. *Quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres &*

cætera naturæ mala, ita luxum vel auaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines, ſed neque hæc continua & meliorum interuentu penſantur. Et ritè cõcluſum à Claudio Cæſare, alioquin beato, *ferenda Regum ingenia neque vſui crebras mutationes*, lib.12. Annal. Taciti.. Religionis Chriſtianæ hoc ſemper, iure optimo, adtributum legimus, vt longè mitiores, húmaniores, & manſuetiores homines efficiat, & illãm humaniſſimam eſſe ſcripſit Syneſius, in elogio Anyſij Hinc fit vt Eccleſia, in qua omnis pietas & religio velut Sacrum aliquod depoſitum conſeruatur, ad omnem miſericordiam cõparata dicatur. Nec vlla vnquam Eccleſiæ Catholicæ Chriſtianæ maior illata cõtumelia à Donatiſtis hæreticis, quàm cum *Macariana*, id eſt crudeliſſima vocitata eſt. Res ita ſe habet, ex Optato. lib.3. aduerſus Parmenianum. Conſtans Imperator, Conſtantini Magni filius, in Africam duos ex ſuis, Paulum & Macarium miſerat, vnà cum ingenti copia eleemoſynarum, quæ in ornamentum Eccleſiarum & pauperum Chriſtianorum emolumentum vſumque cederent. Donatus Bagaienſis Epiſcopus, Donatiſta, audiens hæc per Africæ vrbes diſtribuẽnda, inſanam Donatiſtarum multitudinem collegit, Macarius ne ab illa violentiam pateretur, ad ſe & ea quæ ferebat tutanda, armati militis poſtulauit auxilium à Proconſule vel Vicario Africæ, aut perſimili magiſtratu. Comprehenſi

nonnulli Donatiſtarũ, qui tumultuabantur, & cæſi nõnulli, qui fortiores fuerant capti, longéque relegati ſunt. Horum omnium nihil actum eſt Chriſtianorum Catholicorum voto, nihil cũ conſilio, nihil cum conſcientia, nihil cum opere. Sãctiſſimus Auguſtinus nihil tàm ægrè ferre videtur quàm Eccleſiam Catholicã appellari *Macarianam* à Donatiſtis, quod variis Epiſtolis repetit. Vnde Epiſtola 203. ad Maximinũ Donatiſtam, cogitur non ſine ſtomacho illud reſpondere. *Nec tu obiicias tempora Macariana, nec ego ſæuitiam Circumcellionum, ſi hoc ad te non pertinet, nec illud ad me.* Eccleſiæ humanitatem & benignitatem nulli magis profiteri aut debẽt aut poſſunt quàm ipſi Paſtores, Rectores & totius Chriſtiani populi Duces, quos elegantiſſimè Leo Imperator Nouella 86. *Animata immaculati Sacrarij ornamenta* vocat; Illis ea virtus peculiaris eſt. Ita Cod. de Epiſcop. & Cler. l. 10. *Epiſcopo, ſanctitas, ignoſcendi gloriam dereliquit.* Et Ennodius Ticinenſis, in Panegyrico, non aliter ſuum Theodericum Regem cõmendat, quàm quod *exhiberet robore, vigilantia, proſperitate Principem, manſuetudine ſacerdotem.* Huc ſpectat quod grauiſſimè ab Iſidoro Peluſiota, lib. 3. Epiſtola 260. pronunciatum. Sacerdotes miniſtri ſunt non participes, deprecatores non Iudices, mediatores non Reges. Nectarius B. Auguſtino in hunc ſenſum ſcripſit, Epiſcopum fas non eſt niſi ſalutem hominibus impertire, & pro ſtatu

meliore, cauſis adeſſe, & apud Omnipotẽtem Deū veniā aliorū mereri delictis. Reſpōdet B. Auguſtinus Epiſtola ſequenti quæ eſt 202. *Hæc omnino ſeruare conamur, vt ſeueriore cenſura nemo plectatur; neque à nobis, neque ab alio vllo, intercedentibus nobis & ſalutem hominibus cupimus impertire, quæ poſita eſt in recta viuendi fœlicitate, non in malefaciendi ſecuritate.* Apud Plinium hiſtoriæ naturalis lib. 15. c. 30. laurus triumphis propriè dicata dicitur, vel gratiſſima domibus, Ianitrix Cæſarum Pōtificumque, quæ ſola & domos exornat, & ante limina excubat. Sed vt prodit Dio lib. 53. hiſtor. Romanæ & Valerius lib. 2. c. de Iure triumphandi; Auguſto conceſſum, vt lauro ante eius domum plantatæ corona quercina alligaretur, quæ quidem nonniſi *ob Ciues ſeruatos* tribui ſolebat, ſic noſtris Pontificibus, laurea illa corona, ob profligatos Eccleſiæ hoſtes, nuda concedi non debet, quin & illi innectenda querna corona, ob ſeruatos Hieruſalem terrenæ Ciues, imo & filios, inter quos primum locum obtinent Reges ac Principes. Quæ ratio, Principi Chriſtiano, potiſſimum & ſæpius mẽte reuoluenda & repetenda eſt, vt qui Eccleſiæ, matris & parentis optimæ, perpetuam benignitatem & humanitatem experiri deſiderat, illi viciſſim omne obſequium, cultumque exhibeat. Quod ſi veterum nonnulli, non ſine ratione, dixerunt matri prius ac potius quàm Patri ſuccurrẽdum. Theophraſtus in Characteri-

bus Ethicis, hominis deſperati notam adſignat *Matrem non alere*: Et apud Xenophontem, de dictis & fact. Socrat. Si quis filius veniam à Diis poſtulet, ea prima ſit, quod matrem neglexerit, Cui affine eſt illud quod ſcribit Phalaris Epiſtola 19. ad Paurolam filium, eum exhortatus vt primam ac præcipuam matris curam habeat, & quæ illi præſtentur humanitatis officia, etiã ad patrem aliqua ratione pertinere. Putet Princeps Chriſtianus iſta de Eccleſia matre amantiſſima à B. Ambroſio ſibi dicta eſſe, Commẽtariorum in Lucam lib. 8. c. 18. *Paſce matrem tuam & ſi paueris matrem, adhuc non reddidiſti dolores, non reddidiſti cruciatus quos pro te paſſa eſt, non reddidiſti obſequia quibus te illa geſtauit, non reddidiſti alimenta quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis vbera, non reddidiſti famem, quam pro te illa tolerauit, ne quid, quod tibi noxium eſſet, ederet, ne quid, quod lacti noceret, haurires. Illi debes quod habes, cui debes quod es.* Aptiſsimè; Eccleſia ſiquidem Chriſto, Principem vt & quemuis alium Chriſtianum, genuit. Verùm non ſatis eſſe arbitretur Princeps, ſi Eccleſiæ matri ſuauiſsimæ omne pietatis officium impendat, nouerit etiam legem proſpexiſſe, ne parentes patiantur iniuriã. Meminerit Princeps, Diuinæ iſtius ſententiæ, Eccleſiaſtici c. 3. *Maledictus eſt à Deo qui exaſperat matrem, & maledictio matris, eradicat fundamenta*, ſiue funditus immorigerum filium euertit.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. [illegible] VITTORIO EMANUELE